LEONHARDI GORECII, Equitis Poloni,

Descriptio belli Iuoniæ, Voiuodæ Valachiæ, quod anno MDLXXIIII, cum Selymo II, Turcarum imperatore, gessit.

HVIC ACCESSIT

Io. Lasicii historia de ingressu Polonorũ in Valachiam cum Bogdano, & cædẽ Turcarum.



FRANCOFVRTI,
Apud Andream Wechelum.
A. MDLXXVIII.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO VIRO, DN. ANDREÆ, COMITI GORCANO, CASTELLANO Miedirecẽsi, Capitaneo Gnesnensi Valcensiq;, Leonhardus Gorecius, Eques Polonus, & se & officia sua commendat, patrono ac mæcenati clementiss.



Ttulit mihi, magnifice Comes, Crassouius, puer fratris Rochi, à te ex castris literas: quibus mihi & gratias agis pro oratione ad te missa, qua Gedanenses ad deponenda arma, contra principem suum insolenter suscepta, hortatus sum: & ad maiora scribenda me excitas,

eaq́; in parte operam mihi tuã pollice-
ris. Agnoſco, illuſtris Comes, præſtã-
tem ac eximiam voluntatem tuam, ad
iuuãdos viros doctos promtam & ala-
crem: qui perſonam patris tui, olim in
Republ. noſtra florẽtißimi, & opibus,
auctoritate, acumine, iudicio facilè
principis, non ſolùm nomine, ſed re ipſa
repræſentas. Quare, vt me gratum eſ-
ſe tuæ huius beneuolentiæ declarem:
hanc meam hiſtoriam Valachicam, in
qua ſcribenda Barthol. Paprocium ſe-
quutus ſum, ad te mitto. quam non du-
bito quin ſis eodem animo quo tibi of-
fertur, accepturus: mihiq́; commenta-
ria rerum geſtarum, non ſolùm de hoc
Gedanenſi bello, ſed & quæcunque de
rebus maiorum noſtrorum habes, ſup-
peditaturus. Quibus ego habitis, &
iſtud Gedanenſe bellum abſoluam, &
hiſto-

historiam meam ad hæc tẽpora in quibus versamur, pertraham: vbi se mihi præclarus locus mẽtionem honorificam Stephani, regis nostri potentiss. faciendi offeret: qui mihi & omni conformatione membrorum, & magnitudine rerum gestarum, illos priscos Reges Poloniæ, Boleslaos & Casimiros, repræsentare videtur, qui non solùm Prussos cum vrbe Gedanensi, sed & vicinas gentes perdomuerunt. Singulare certè beneficium diuinũ in nos Polonos extitit, quòd post occasum Sigismundi Augusti, talem regẽ habeamus, qualem hoc regnum hac in perturbatione rerum omnium, poscebat flagitabatq́;. Cuius quæ & quantæ virtutes sint, initium regni demonstrauit, exitus pòst declaraturus est: qui de se viuentibus materiam præclaram scribendi relin-

quet, & apud Deum immortalē æternum præmium cōſequetur. Quid enim hac in vita prodeſt alios laudare, eos ad ſumma ſidera euehere, ſi diuinum iudicium nō acceſſerit? Sed ego regem Stephanum vtrumque habiturum & ſpero & confido: quem & cōſenſus totius populi laudabit, (quod iam nunc faciunt principum Germaniæ ad eum miſſi legati) & præclaris eximiiſq́; virtutibus ſuis, habita in Chriſtum fide, æternam immortalitatem conſequetur. Cæterùm Chriſtiani monarchæ cogitēt quàm longè lateq́; virus acerbitatis ſuæ Mahometes propagarit ob hæc inteſtina eorum diſsidia: quæ vtinam inter eos conquieſcant, omneſq́; ſimul iunctis armis, eadem huic teterrimo hoſti nominis Chriſtiani inferant. quibus vt Deus ſucceſſus det, ex animo precor.

Sed iam lege, si placet, hanc historiam. ex qua & cognosces non tã validas esse Turcarum vires, vt cõsensu Christianorum ac concordia debellari non possint: & præclaras virtutes Polonicorum equitum recognosces, quorum opera Iuonia vsus Turcas ad internecionem persequutus est. à quibus minimè degenerasse tui quoque tunc visi, cùm pauci cum multis ad Dantiscum 12 Augusti dimicarent, Sdrowsciusq; tuus insignem quendam Hessum cepisset, ex quo permulta rebellium contra regem suum cõsilia cognita sunt. at verò id 17 Aprilis maximè apparuit, cùm duo millia nostrûm Hungarorûmque, duodecim Gedanensium millia ita profligarunt, vt quater mille & quingenti hostes in acie ceciderint, mille viui capti fuerint, è nostris solùm duode-

ſexaginta cæſis: quam hiſtoriam Laſicius noſter, vt verè, ita breuiter, hiſtorico ſtylo deſcripſit. Vale, Illuſtris Comes, Gorecij tui memor. E Saniki, 15 Octobr. a. 1577.

CASPAR LINDENERVS, MEDIcus & philoſophus Poſnanienſis.


Hiſtoriam vitæ veteres dixêre magiſtram:
Hiſtoriæ quando multa docemur ope.
Tam bene quis Romam, doctas quis noſſet Athenas,
Liuius æternum ni fabricaſſet opus?
Non multi legerent Valachûm, vel geſta Polonûm,
Nobile Gorecij ſi latuiſſet opus.
Hinc potes effectus bellorum, & diſcere cauſas,
Et quàm Turcarum ſit malè tuta fides.

LEON-



LEONHARDI GORECII, *Equitis Poloni,*

Descriptio belli Iuoniæ, Palatini Valachiæ, quod is cum Selymo, Turcarum imperatore, magno cum successu gessit ab initio, demum à Ieremia Czarnawieczio Valacho proditus, & à Turcis contra fidem datam ac sacramento confirmatam occisus.



BELLVM scripturus, quod ab initio magno cum successu Iuonia regulus Valachiæ, cum Selymo Turcarum Cæsare gessit, operæpreciũ me facturum puto, vt de situ Valachiæ,

incrementis gentis, feracitate ſoli, moribus, & de aliis ad eam rem pertinentibus, ex ſecunda decade hiſtoriæ gentis noſtræ Polonicę, quam viginti libris, vſque ad exitum Sigiſmundi primi, regis Poloniæ, perſecuti ſumus, dicam. Valachia, quę olim Myſia & Dacia dicta fuit, habet ab ortu Euxinum, à meridie Iſtrũ, ſeu Danubium: ab occaſu Tranſyluaniæ, ad Boream Ruſſiæ, ſeu Roxolanis, contermina. Tota regio in partes duas diuiditur, in Valachiam Trãſalpinam, ac Moldauiam. Tranſalpina quidem, ab oriente habet piſcoſum lacum, quem Hiraſſus amnis, ab accolis Pruthes vocatus, efficit, ſuis denique aquis adauctum ac latè ſtagnantem relinquẽs, in Iſtrum euoluitur: ad meridiem vergit terminata Danubio, atq; item ab occaſu Tranſyluaniæ fines attingens, ad oppidũ Seuerinum, vbi Traiani pontis admirabiles pilæ triginta quatuor, nequaquam totas obruente Danubio, viſuntur. Ad Septentrionem autem finitur Hoina, ignobili flumine, & directis terreſtribus terminis

Situs Valachiæ.

terminis ad Istrum, curuata admodum regionis fronte cõtra Paucem insulam, spargente sese primò in ingentes ramos profluente Istro, antiquis scriptoribus notam, quam hodie Barillanam dicunt. Oritur autem Danubius in iugis Arbonæ montis Germaniæ, ex aduerso Rotwilæ oppidi Sueuię, in Nigra sylua apud pagum Donessing. Vbi primùm Illyricũ alluit, Ister appellatus, sexaginta amnibus receptis, medio fermè numero eorũ nauigabili, in põtum vastis sex fluminibus, euoluitur. Altera pars Valachiæ, agrorum & pastionum multitudine maior, armentisque & militaribus equis opulentior, ab amne Moldaua, qui mediã intersecat, Moldauia dicitur. Is ortũ habet paulò infra Hirassi fontes è Transyluaniæ montibus, quibus antiqua Dacia ad ingentis theatri similitudinem, obuersa in occasum scena præcingitur, delapsusque Soczauiam, quod oppidum est sedes Palatinorum, præterfluit. Atq; inde violentus Hoinam, Dobenisam, Argiamque, paruos, sed perennes a-

Danubij descriptio.

mnes ſecũ trahens in Oltam effunditur. Olta verò, qui antiquitus Allutus fuit, non Tranſyluaniæ modò, cuius partem ab aduerſis montibus deſcendens rigat, ſed Moldauiæ & Tranſalpinæ minora flumina, in orientem reflexus, ad Nicopolim in Danubium rapit. Omnium verò ampliſſimus Tyaras, qui ab incolis vocatur Neſter, ad Aquilonem Moldauiam terminat. Ortus enim à Carpatho monte Sarmatiæ, & rectà in Euxinum contendens, Ruſſiæ & Podoliæ fines tandem attingit. Qui primi loca Valachiæ tenebant, nihil poteſt certi ex tanta vetuſtate ſcriptorum erui, quam variæ gentes, vt Vngariam, obtinebant.

Hodierni Valachi ad quē ſtirpem ſuam referunt.

Hodiernæ gentis Valachicæ originem quidam referũt ad Flaccum præſidem Romanum, à quo nomine leniter deflexo & ipſa Valachia nuncupata eſſe videtur. Ab eo enim tempore quo Flaccus cum imperio Myſiæ ſiue Daciæ præfuit, quæ vltra Iſtrum ad Scythicam gentem extenditur, Flacciam appellari conſtat: quam demum corrupta voce, ſenſim in

Vala-

Valachiam abiisse perspicimus. Apud Valachos enim non modò Romanæ disciplinæ mores certi, legesque vigent: sed ipsa quoque Latinæ linguæ vocabula permulta seruantur. Vnde Wlochorum & Valachorum nomen idem quidam esse volunt, quos Wlochos, id est Italos, etiam Germani lingua sua Welschen vocant. vtraque gens Itala: ideo commune nomen. Qua ratione autem eam regionem Flaccus occupauit, Æneas Syluius, qui pòst Romanus pontifex fuit, sic tradit. Tempore Traiani Imperatoris, Daci, seu Gothi, detrectantes Romani iugum Imperii, missus est eò Flaccus cum triginta millibus hominũ, quibus in coloniam deductis, ibidem ararent, commeatum Romano exercitui, qui ibidem semper in armis contra Scythas ac Sarmatas fuit, pręberent. Vnde pòst interiecto tempore pulsis Gothis, illa tota regio, quæ Valachia à Flacco est appellata, Romanis cessit. cuius sententiæ haud pœnitet me esse. Sed diuersum alios scripsisse videmus, qui Syluium,

Flaccus qua ratione Valachiam occupat.

uium, in laudem ſuorum propẽſum, falſa tradidiſſe affirmant. Poſt quẽ qui ſcripſere hiſtoriam, eadem quidem de gentis origine, ſed diuerſa ratione ſcribunt. qui hodiernorum Valachorum ſtirpẽ ad Romanos quidem referunt, ſed ad exules, qui eò relegati erant. Quorum cùm tantus numerus fuiſſet, vt non tantùm contra incolas potentes fuerint, ſed & Gothis inde eiectis, fidelem operam popularibus ſuis nauandam rati: ponte Danubio impoſito, eadẽ loca obtinuere. qui in partes duas diuiſi, vti à nobis dictum eſt, Valachos Tranſalpinos ac Moldauos. vtraque pars regulos ſuos habuit. Nam Tranſalpina Valachia, quę à Turcis Carabogdana minor, eò quòd nigrum frumentum ferat, vocatur, præcipuam ciuitatem Tarnouizam habet: quæ eſt regia regulorum Tranſalpinæ Valachiæ, qui continuo parendi obſequio, Turcarum amicitiam tuentur, aureûmque nummûm myriadem, tributi nomine quotanis pẽdent: eáque vel indecora pace perfruuntur, quòd impunè

Aliorum de Valachiæ incolu ſentẽtia.

fidem

ſidem mutare nequeant, cùm in oppoſita Danubij ripa, Seruiæ Bulgariæque præſidia in antiquis Triballorum ſedibus ſpectentur. Illa quoque pars Valachiæ, quam Neſter à Podolia diſiungit, à Turcis duce Mahomete Cæſare, qui Conſtantinopolim, olim Byzantium dictam, ceperat, ſubacta, eiſdem tributum pendebat. ſed ſuperiori anno, Iuonia à Turcis per fraudem capto, ac crudeliter occiſo, vtraque Valachia Turcarum ditionis facta eſt. Modicum tum ab initio tributum Turcicis imperatoribus Palatini Moldauiæ pendebant: eò quòd Caſimirus, pater Sigiſmundi primi regis Poloniæ, occupatus bello cruciferio, Petrum iuuare contra Mahometem nõ potuit: cui Mahometes nomine tributi, ſolùm duo millia nummûm aureûm, anno à Chriſti regis ortu, ſupra milleſimum quadringenteſimum quinquageſimo quinto, impoſuit. Demum interiecto tempore, Imperatoribus Turcicis Aſiatico, Perſico, Iſmaëlitico, Ægyptiaco bello diſtentis, Valachi partim

Moldauia quãdo à Turcis occupata.

Valachia Vngaris Polonisq; ſubiecta.

imperio Vngarico, partim Polonico subiecti fuere. Qui pòst in tantas vires creuere, vt nostris exercitibus aliquoties deletis, Vngarorũ iugo excusso, demum ad imperium Turcarum pertracti sint. Iurabãt & in verba regum Poloniæ, se cum eis pacẽ habituros: quibus semper vectigales fuêre. Ac si maior vigilantia demortui Augusti regis fuisset, etiamnum Valachia vectigalis Polonorum esset: cuius oppido Chocimo Albertus Lascius, vir consilio manúque promptus, aliquandiu obtento, regem Augustum obtestabatur vt sibi daret auxilia. nam se Valachiam totã facilè eius adiecturum imperio. per eumq; Iacobus Despotes, perq; Lassocium, Philippouium, ac cæteros (qui genus suum ad antiquos regulos Valachiæ eodem nomine appellatos referebat) superioribus annis in Valachiam restitutus fuit. Eiectóque Alexandro, tanti motus bellorum in Valachia excitati fuêre, vt à Valachis Despota crudeliter occiso, ac Visnieuiecio insigni bellatore capto, & in Tur-

Lascius Despotam in Valachiam restituit.

in Turciã misso, (de quo ibidẽ suppliciũ sumptum est) Lascius Chocimum nonnullo temporis spatio retentum, pòst Alexandro restituere coactus fuerit. Alexandro filius Bogdanus successit, Bogdano Iuonia, (Iohannem ea vox significat) de quo hîc historiam scribendam sumpsimus. Is armis Turcicis adiutus, exercitu Bogdani profligato, aliquandiu Valachis præfuit. Habuit Valachia insignes ac bello egregios ante hæc tempora regulos: in primis verò illum Stephanum, qui sæpissimè tot exercitibus Moschorum & Scytharum deletis, ex eis præclarissimas victorias reportauit, omnibúsque terrori ac formidini fuit, præcipuè autem Turcis, quorũ numerosos exercitus profligauit, ad internecionémque dedit: deinde Draculam, quem vt Matthias rex Vngarorũ in officio retineret, pro amisso Moncastro ad Turcas Czizouiam & Cechillũ oppida, dono ei dedit. Ea sunt in extrema Transyluaniæ parte, qua per saltum Moldauiæ iungitur. Quibus virtute

Reguli Valachiæ insignes.

Dracula.

Petrus. bellica ille Petrus haud inferior fuit, violento indomitóque ingenio prædi-tus, ob ídque Selymano Turcarum imperatori minùs carus: ex quo Sigiſmundus memorabilem victoriam, autore Ioanne Tarnouio, viro omnibus imperatoriis virtutibus inſtructo, ad Obertinum reportauit. Mores, religio, ſacra

Mores Valachorum. Valachorum, ad Græcas Armeniacaſq; eccleſias accedunt: apud quos ſacerdotes vxores ducunt. Gens equitatu pollet. Nam quiuis, vel egentiſſimus, domi equũ alit, quo prædatur ac militat. Scuto, haſta, galea, quemadmodum Vngari vti ſolent: nonnunquam lancea miſſili atque arcubus rem gerũt. Equi eorum pectoroſi robuſtique, non pernicitate quidem in curſu, ſed perſeuerãtia & viribus maximè probantur. Proinde mos eſt, tenellis, cùm caſtrantur, nares præſcindere, ne anguſta reſpiratione fatigẽtur, quando nec mediocris equi laus ſit triduo, vel per æſtiuos ſoles, bellicæ agi-

Perfidia Valachorum. tationis laborem pertuliſſe. Tanta perfidia gentis eſt, inconſtantiáque in regulos

los suos, vt facta in eosdem conspiratione, leui de causa eos interimant, nullâque claritudinis & stirpis ratione habita, vel sordidissimos quosque in pecuarios, locum regulorum asciscant. Regio adeò ferax, tantáque multitudo boum in illa est, vt & in Russiam, pòst in Germaniã quoque, ij adducãtur qui inter alios maximi sunt. Habet copiam vini & hordei, nec tritici indiga. Malmaticum vinum ex Turcia, & id genus alia in Poloniam Armenij per Valachiam aduehunt: piper item, crocum, preciosa aromata, peristromata, quæ sunt instrumẽta luxuriæ. Atque hæc obiter de Valachia: nos ad institutam historiam reuertamur. Bogdanus igitur, Valachia post mortem Alexandri obtenta, adeò Turcarum imperium aspernari visus est, vt cum Augusto rege Poloniæ, anno M D LXXII mortuo, fœdere perpetuo percusso, legatis missis impetrauerit, vt sibi ex Valachia in Russiam, quando vellet, commeare, domos magnatum vetustæ stirpis inuisere liceret, vt cuius virgo si-

Inchoat historiam.

bi pudore, formáque præstans placeret, eam vxorem duceret, ac vt ex fœdere belli tẽpore Augusto regi viginti quatuor millia equorum armis virísque instructa mitteret. Omnium de eo vulgatior fama fuit, eum bona sibi in Russia emere voluisse, ac Valachica gente perfidissima, si quis ita casus tulisset, vel si à suis pelleretur, relicta, in Russia mansurum fuisse. Augustus Turcicam fidem suspectam habens, (quorum Turcarum si non instinctu, at saltem conniuente Selymano, patre Selymi, Scythæ, gẽs bello inuicta, illam partem Russiæ quæ Nestrum attingit, sæpe ingenti clade belli affecerunt, oppida, villas, vicos exusserunt, maximam multitudinem pecorũ, pariter cum hominibus, abduxerunt) vt Bogdano in fide retento, si quando bellum contra Turcas suscipiẽdum foret, habita Valachia fœderata, (quæ inter ditionem regum Poloniæ, ac Turcicum imperium, tãquam firmissimus murus, propugnaculúmque quoddam, est interposita) omnem barbarorum impetũ

facilius

faciliùs ſuſtinere poſſet: adhęc, nō ignorans, maiores ſuos ſæpe cum Valachis religioſiſſimè fœdus conſeruaſſe, quibus ſæpè periculoſiſſimis ac difficillimis temporibus contra vim Turcarum auxilio fuêre: id facilè Bogdano concedit. Bogdanus igitur, hac tali amicitia tanti regis fretus, ſæpiùs in Ruſſiā venit, ſummorū domos obit, eos muneribus explet. Quæ cùm ad aures Selymi Turcarū imperatoris, qui iam Selymano patri in imperio ſucceſſerat, perlata fuiſſent: in primis verò illa re offenſus, quòd tātum equitatum Auguſto ex fœdere in ſubſidium belli dare debuit: tacitis conſiliis agitat, vt abdicato imperio Valachiæ Bogdano, illud ad quempiam alium deferret, cogitans, ſiquando ſibi cum Polonis, gente ad arma nata, belligerādum foret, eis Bogdani arma, ac totius Valachiæ, maximo adiumento fore. Iámque Bogdanus ingenti inuidia apud ſuos populares flagrabat, eò quòd non ſolùm totum ſe ad amicitiam Polonorum contulerat, ſed eiſdem militari ſtipen-

Cōſilium Selymi de abdicando imperio Valachiæ Bogdano.

dio conſtituto, eos apud ſe liberaliter fouebat, Sborouióque Chriſtophoro, fratri Petri, Palatini Cracouienſis, ſororem ſe ſuam in matrimonium daturum pollicetur, quoniam antè Caſparo Panieuio Ruſſo alteram dederat. Sborouius ea ex re lætus, quoniam ingens æs alienum cõtraxerat, vt ex eodem ſeſe euolueret, ad Bogdanum magno comitatu, pulcherrimo habitu exornato, in Valachiam venit. à quo pòſt eluſus, vindictã animo ſpirans, re infecta in Ruſſiam, vbi amplas poſſeſſiones habebat, redit: ac ſi quando occaſio daretur vt Bogdanum vlciſci poſſet, animo intentus erat. Bogdanus igitur adornata profectione in Ruſſiam ad Ioannem Tarlonem, cuius filiam, virginem ſpecie ac pudicitia inſignem, in matrimonium ducere ſtatuit, trãſmiſſo Neſtro in ciſiis, quoniam tum glacie obduratus erat, vno atque altero miniſtro comitatus, longeq; à ſuorum agmine ſeiunctus, in Sborouij puerum, quem ille cum literis peregrè miſerat, incidit. qui à Bogdano cuius eſſet percunctatus,

Aduẽtus Sborouij in Valachiam.

Aduentus Bogdani in Ruſſiam.

cunctatus, dolenter lamentatur ſe literas cum ſarcinula amiſiſſe, quas herus ſuus ſibi perferendas commiſerit. Quare ſubditis equo calcaribus, ad herum redit: ubi Bogdanum nullo comitatu ſeptum viderit, narrat. Ibi Sborouius cum aliquot miniſtris, conſcenſis pernicibus equis, ad Bogdanum aduolat: cui à Secignieuio, non impigro iuuene, ſecundum aurem vulnus infligitur. dehinc eũ Sborouius ſecum abducit, & in cuſtodiã dat: nec aliter dimittere vult, quàm ſibi ſatisfaciat pro impenſis & damnis, quæ ſubierat cùm ab ipſo in Valachiam venire iuſſus eſſet. Bogdanus tam inopinato periculo circumuentus, ſex millia nummûm aureûm Sborouio dat: reliquam pecuniam ſe ad certum tempus diſſoluturum pollicetur: pro quo Panieuius fidem interponit. Cõſtat id factum Sborouij Auguſtum regem iniquo animo tuliſſe. Valachi igitur, ſiue fidem Bogdani ſuſpectam habentes, ſiue eum in Polonia interiiſſe rati, Selymum ſollicitabant vt ipſis alium, in locum Bogda-

Bogdanus ſe Sborouio redemit.

Origo Iuoniæ stirpis.

ni, daret. Erat Iuonia (quem quidã Polonum fuisse, in Masouia natum, dicũt) stirpis Valachicæ, qui se antiquis prognatum regulis Valachię aiebat, vir proceræ staturæ, facie decora, oculis gracilibus, quodammodóque minacibus, toto corpore lacertosus, viribus pollens. Is igitur post mortem Alexandri, viuo adhuc Selymano, Palatinus Valachiæ fieri voluit: cui ille Bogdanum, filium Alexandri, prętulit. Aliquandiu post hæc in Russia ac Turcia vnà cũ Ieremia Czarnicuieczio Valacho, cuius in eum hoc in bello insignis perfidia extitit, versatus: vt sibi animos Turcarum magis atque magis conciliaret, suscepta circumcisione ac religione Mahometana, animum ad amplam copiosamq; mercaturam exercendam adiecit. Cuius magnitudine ac splendore, non solùm in purpuratorum, qui Bassæ (id est capita) vocantur, notitiam peruenit, sed & ipsius Selymi. Is igitur ex purpuratis cognito consilio Selymi de imperio Valachiæ alteri demandando, eos largitionibus corrum-

Iuonia sollicitat purpuratos.

corrumpit, orátque autoritatem suam apud Selymum ita interponãt, vt ipsum Voiuodam Valachiæ renunciet. Ostendit fidem Bogdani esse suspectam, qui se totum ad amicitiam regis Poloniæ contulerit: fieri posse vt Polonorum auxilio adiutus, pòst Turcarum imperium excutiat abiiciátque. Selymus, propensa purpuratorum volũtate cognita, nactus absentiam Bogdani, qui in Russia degẽs ex vulneribus nõdum conualuerat, Palatinatum (id est dominatum) Valachiæ ad Iuoniam defert, eúmque per speciẽ mercaturæ exercendæ, in Valachiam, addito ei numeroso equitatu, vt omnes in verba ipsius, iussu Selymi, iurent, mittit. Dicitur ea de re Augustus rex cum Selymo expostulasse. At ille respondit Iuoniam in Valachiam causa mercaturæ exercendæ profectum esse. Iuonia in Valachiam veniẽs, facilè ab omnibus iuramentũ accipit. Est arx in Valachia Chocimum, natura loci munita, quam firmo præsidio Bogdanus firmauerat. hanc præsidiarij milites Turcis dedere

Selymus Valachiã ad Iuoniam defert.

nolunt, ſed eam cõtra vim ipſorum ſtrenuè defendunt. Bogdanus de rebus domeſticis turbulentis certior factus, vt ſe contra vim Turcarum tueretur ac defenderet, auxiliũ ſibi ex fœdere ab Auguſto dari poſtulat: cui quatuor millia equorum, plus minus, dantur, ductore Nicolao Mieliecio, Palatino Podoliæ vigilantiſſimo ſapientiſſimóque, vt ipsũ in Valachiam reduceret. ſed incaſſum. Nam adeò vires Turcarum in Valachia inualuerant, vt ille totus exercitus, cum Bogdano in Valachiam miſſus, collocato Chocimi Bogdano, in Ruſſiam incolumis regreſſus ſit, non tamen ſine cæde Turcarum. qua in expeditione, præclara virtus cùm aliorum, tum verò Nicolai Herburti, nobilis ac egregij viri, bellóque clari, enituit: qui vndiq; ab equitatu Turcico ſeptus, eorum acie perfracta, multis occiſis, ad ſuos nullo lethifero vulnere accepto, ſaluus rediit. Bogdanus verò, aliquandiu Chocimæ moratus, eam arcem, quàm firmiſſimo præſidio poteſt, munit: qua Dobroſolouio, ſtirpis

Auguſtus iuuat Bogdanum.

ſtirpis Polonicæ viro egregio, commiſſa, ipſemet in Moſcouiam fugit, illicque degere dicitur. At Dobroſolouius, nõ nullo temporis ſpatio Chocimenſi arce retenta, eam pòſt Iuoniæ tradere, ita iubente Iaſlouiecio, magiſtro equitum campeſtri, cùm id Auguſtum velle (cuius tum mors nondum diuulgata erat) dictaret, coactus fuit. Iam Iuonia omni turbulento ſtatu Valachiæ compoſito, eum pacatè obtinebat, tributum ſolitũ Selymo pendens. ex his quoque ſupplicium, quos ſibi aduerſari videt, ſumit: præſertim ex propinquis Bogdani, ſummo loco ortos, opibúſque florentes, crudeliter contrucidat: fortunę ſuę impendentis immemor, paulo inſolentiùs victoriam exercet. Erat Palatinus Tranſalpinæ Valachiæ, quem non mediocriter fortuna Petri fratris ſollicitabat. Quare de eo anxius, Selymi purpuratos in regia prenſabat, vt, quemadmodum Bogdanum Iuonia, fultus auxilio Selymi, ex Valachia eiecerat: ſic Petrus adiutus auxilio eiuſdem, poſſet Iuoniam

Iuoniæ Chocimum traditur.

Cõſilium Palatini Valachiæ Tranſalpinæ.

eiicere. Quare eadem via purpuratos, qua olim Iuonia, aggreditur. & si Palatinatum Valachiæ apud Selymum fratri Petro impetret, se duplo maius tributum, hoc est, centum viginti millia nummûm aureûm, daturum pollicetur. Iuoniæ fidem esse suspectam, qui religione Mahometana spreta, iterũ Christianam susceperit, ideóque Christianis apprimè faueat: foréq; breui vt Bogdanum secutus, pòst ad amicitiam Polonorum se conferat, quorum auxilio adiutus, Turcicum imperiũ abiiciat. Purpurati, magnitudine tributi pellecti, ac hisce verbis moti, Selymo suadent vt missa legatione ad Iuoniam, ipsummet ad se venire iubeat, illíque quem eò mitteret, Valachia cedere. Quòd si dicto ipsius minùs pareat, id se armis consecuturum. Selymus, qui ingenti cupiditate pecuniæ flagrabat, post profusum ærarium in classem quæ in Ionio mari à Venetis, post captam ab ipso Cyprum, in alto depressa fuit, ad id se facilè pertrahi patitur. Quare legatũ ad Iuoniam mittit,

Purpurati assentientur Selymo.

1571.

mittit. quem ſic verba feciſſe, quæ dies erat vigeſima prima Februarij, cùm Hẽrico Gallo à noſtris Cracouiæ diadema imponeretur, accepimus: Selymus, Turcarum Cæſar, Iuonia, Palatine Valachiæ, me ad te tributarium ſuum, cum hiſce mãdatis, quibus te quàm primùm, nulla mora interpoſita, ſatisfacere vult, mittit, vt ſibi tributum, non quale olim, ſed duplo maius, nimirum cẽtum viginti millium nummûm aureûm, mittas. Ni feceris, eſt alius qui idem ſe tributũ ipſi ſua cum poſteritate daturũ pollicetur. Sed Selymus, memor conſtantiæ, virtutis, fidei tuę, non vult tibi in imperio Valachiæ moleſtus, ſi id tributum quamprimum mittes, eſſe. Quòd ſi id detrectas, cede alteri, ac è veſtigio ſimul mecum ipſemet, ad dicẽdam cauſam, Conſtãtinopolim proficiſcere. Si tibi id moleſtum eſt facere, Selymus me tibi denuntiare iuſſit, ſe cum firmiſſimo equitatu, alium ad occupandam Valachiam miſſurum. cuius voluntati ſi tu aduerſaberis, te ad extrema quæq; adducet: ti-

Oratio legati Selymi ad Iuoniam.

bíque non solùm de regno, sed de vita periclitandum erit. Hæc legati verba in animum Iuoniæ, altiùs quàm quisquam existimare potuit, ascenderunt. Quare dissimulata animi ęgritudine, legatum suos in hospitium deducere iubet. rẽ esse maioris deliberationis, quàm vt eadem die legato posit responderi, ac, cùm ad totum senatum pertineat, cum se extemplo conuocaturum dicit, ac ea de re, tam ardua & difficili, cõsulturum, quídque omnes animi habeant, se ei statim dicturum. Deducto legato in hospitium, omnia postulata Selymi animo pensat: gentem vniuersam Turcicam esse perfidissimam, quæ Christianis regibus fidem iuramento confirmatam (quamuis ipsemet Christiana fide abiurata, nescio quo pacto iterum Christianus fuerit) non seruet, sed captata occasione eos in fraudem inductos fallat decipiátque. Si id tributum, tam amplũ, in tãta inopia regni, quod ciuilibus bellis exhaustum sit, concedat, eo Selymũ minimè contentum fore, sed illud insequenti

Perturbatio Ioannis.

Consultatio Ioannis.

quenti

quenti anno aucturum eſſe, taléque de-
mum exacturum, quale cum vniuerſa
gente non poſsit diſſoluere: nec ſe iam
tutum fore, exorto alio qui hæc impe-
rata ſit facturus. Quare vniuerſo Senatu
ad ſe conuocato, in hunc modum ad eũ
verba fecit. Si vnquam de re ardua ac
difficili vobis conſulendum deliberan-
dúmque fuit, hoc certè tempore eſt. Nã
Selymus incredibili auaritia æſtuans,
neſcio cuius inſtinctu, non contentus eo
tributo quod ei pendere ſoliti ſumus,
duplo maius à nobis extorquet. Si con-
ceſſeritis, mea nihil refert: vtpote cùm
non mihi, domino, ſed vobis liberíſque
veſtris pendendum ſit. Quòd ſi id nega-
mus, extemplo vim, bellum, direptionẽ
oppidorum, incendia, rapinas denun-
tiat. In hac igitur inopia regni noſtri,
quod eſt vniuerſum ciuilibus bellis ex-
hauſtum, quomodo ei illud diſſoluere
poterimus? Proinde quid omnes animi
habeatis, exponite. Ego quidem illud a-
nimo prouideo, ſi tam amplum ac im-
menſum tributum Selymo iam conceſ-


Oratio Iuoniæ ad Senatum.

ſeritis, minimè eum fore cõtentum, ſed ſingulis annis maius exacturum, donec opes noſtræ planè exhauriẽtur. Præſtat igitur vitam pariter cum vxoribus paruíſque natis amittere, quàm tantum dedecus pati. Nec fortuna mea adeò angor: cùm ſciam illud vobis eſſe pendendum, non mihi. Quare ſi hanc indecorã flagitioſamque ſeruitutem nõ vultis pati, omnes abſque vlla cunctatione dicite. Ego certè diligenter prouidebo atq; curabo, vt huic Ethnico cani, nõ ſolùm hoc nouum, támque amplum tributum dem, ſed ne vllum planè deinceps pendam, dummodo vos mihi non defueritis. Scio, collegæ cariſſimi, quid ego vobis debeam, quid Reipubl. veſtræ: pro quorum ſalute ac incolumitate vitam meam profundere paratus ſum. Hæc vbi dixit, tacitus mæror, ac inſolitum ſilẽtium, vniuerſum Senatum cepit: tandem tãquam graui ſomno expergefacti, fremunt. Seruitutem ſibi à Turcis imperatoribus multiplicari. Iuoniam non tam luculenter quàm verè de tributo loqui.

Mæror Senatus Valachiæ.

loqui. Mori se malle, quàm tantum dedecus, summa cum turpitudine cõiunctum, pati. Proinde vxores, liberos, ac quicquid preciosioris supellectilis habeant, in arcem Chocimensem, cuius munitioni fidant, se importaturos, ac ibi omnia se collocaturos, pollicentur, seq; Iuoniæ propriis sumptibus militaturos, hostíque ad Danubium, qua parte ad se delendos veniat, vnà cum illo occursuros, cum eóque ad vltimam dimicationem congressuros. quæ omnia se iureiurando facturos confirmant. Iuonia, omnium constanti voluntate cognita, paucísque verbis collaudata, fidem ac iusiurandum omnes inter se dare iubet, vt simul secum iunctis armis, Turcas ad internecionem persequantur. se verò etiam atque etiam diligenter curaturũ, vt non solùm influentes copias Turcarum, à ceruicibus Valachiæ reiiciat: sed longè latéque eorum regno euastato, honestam pacem ac quietem vnà cum eis sibi comparet. Accepto ab omnibus iuramento, legatum ad se Selymi

C



Iuonia legato respondet.

accire iubet: cui tale responsum audiente Senatu dat. Equidem pro veteri fide mea, quam datã Selymo domino meo conseruare solitus sum, de dando tributo libenter parêrem, ni voluntatẽ meorum ab eo abhorrere scirem: qui quæq; acerbissima ac durissima ferre malint, quàm eam indecoram seruitutem, nulla ratione ferendam. Quare, cùm id à meis nullo pacto extorquere queam, Selymũ me, ne in malam partem accipiat, vehementer precari: cuius amicitiam mihi ornamento & præsidio, non detrimento esse velim. ideóque me ea spe Palatinatum Valachiæ ab illo & petiisse, & ob meam singularem fidem in ipsum, obtinuisse. Quæ spes ne me fallat, etiam atq; etiam oro. Hisce dictis legatum, nulla mora interposita, è finibus Valachię excedere, eúmque nullis muneribus, vti alios legatos solitus erat, ornatum, equites Valachicos ad ripam Danubij deducere iubet. Quæ res ipsi haud mediocrẽ suspicionem attulit, Iuoniæ animum esse à Selymo alienum. Iuonia, responso

Iuonia legatum ex Valachia excedere iubet.

dato

dato legato, ad comparandum exercitũ continuò animum adiecit. vbi illico omnes pedites ſtipendio militari inautorati: quíque equo ſtipendia merere ſoliti erant, ad Iuoniam conueniunt. qui iuramẽto ſe iterum atque iterum obſtringunt, ſe cõtra Selymum, tam crudelem dominum, ad internecionem, ſupremámque dimicationem, pugnaturos, omniáque potiùs, patriã, vitam, vxores, cariſſima pignora liberos, amiſſuros, quàm Palatinum ſuum deſerturos. Tributum autem ſe ſtatim exacturos, in idq́ue collaturos, vt Iuonia equitibus Polonicis, quorum tum maxima opinio virtutis eſſet, militari ſtipendio inautoratis, expedita opera eorum in bello cõtra Selymum vtatur. Quo cõſilio Iuonia auidè arrepto, credidit illos fideles erga ſe fore. Itaque legatum ſuum Cracouiam ad Henricum & vniuerſum Senatum, eum de ſtatu rerum Valachicarum certiorem faciens, mittit, in quo periculo conſtitutæ ſint demonſtrans, auxiliúmque ab ipſo petens. ſibi enim

Iuonia exercitum cõparat.

Legatio Iuoniæ ad Henricum regem Poloniæ.

cum Selymo acerrimum bellum fore. Reges Poloniæ cum Palatinis Valachiæ ſemper fœdus religioſiſſimè conſeruaſſe, ac eos contra Turcicos imperatores defendiſſe, ſempérque hos regum Poloniæ cliẽtes fuiſſe: ob eámque cauſam tanto temporis ſpatio regnum Poloniæ ſaluum ac incolume ſtetiſſe. alioquin, Valachia armis Turcicis occupata, ſtatim regnum Poloniæ in ſummo diſcrimine futurum. Nunc ſe regem maximopere orare, non vt aliquo conducticio milite ſe iuuet, ſed vt Camienieciæ, Leopoli, paſſimq́; in reliquis oppidis, per præconem proclamare iubeat, quicunque in Valachiam ad accipiendum ſtipendium militare proficiſci velit, Palatinum tantum ei ſtipendium numeraturum, quantum ipſe poſcat. plus enim apud ſe omnium incolumitatem, quàm impenſas valere. Hiſce Henricus audi- *Henricus Palatino reſpondet.* tis, ſe Iuoniam nullo auxilio poſſe iuuare reſpondet, nec cuiquam, vt ad promerendum ſtipendium in Valachiam proficiſcatur, permiſſurum. idq́; ideo quòd

quòd ſupra centum annos antiqua fœdera regibus Poloniæ cum Turcicis imperatoribus ſint. Iuonia triſti nũtio ab Henrico de denegatis auxiliis perturbatus, fit à ſuis certior, leuem armaturam equitum Polonicorũ, qui ad Boryſthenem & Ponti oſtia, cauſa prædæ acquirendæ degunt, eſſe: gentem tot bellis induratam, vt eis ad vincendum nihil ardui ſit. iam eos domum nulla præda con ſecuta regredi velle. ad eos igitur ſubitò internuntios mittendos cenſent, vt ad ipſum in Valachiam veniant, qui eis paratum ſtipendium, quantum velint, diſſoluturus ſit, modò opera eorum cõtra Turcas, quos ipſi etiam oderint, vtatur. vim totam belli in eo equitatu ſitam eſſe. Iuonia conſilio ſuorum arrepto, ſubitò vnum atque alterum internuntiũ ad illos ipſos equites (qui velites optimo iure nominari poſſent, eò quòd nuſquã in loco certo conſiſtunt, ſolùm abacta hoſtili præda, huc illuc per loca hoſtiũ auia, abdita, occulta, vaſtamq; eorum regionem euagantur) mittit, vt ad ſe

quamprimum veniant: esse quod cum eis de rebus eorum loqui velit. Quòd si quas occultas insidias pertimescant, eis apertè denuntiare iubet, Palatino graue bellum cum Selymo Turcarum imperatore imminere. quod cùm gerendum susceperit, si stipēdio militari inautorari velint, Palatinum velle eis, non solùm in vnam partem anni, aut semestre, sed & singulis diebus tantum constituere quātum ipsi poscant. Quæ cùm ad aures Cosacorum (sic enim ij velites à nostris vocantur) ab internuntiis perlata fuissent, nihil de Henrico rege cogitantes, id iter suum in Valachiam voluntati ipsius aduersari, ex illis ipsis patentibus campis ad Palatinū in Valachiam proficiscuntur. qui de more, gloriæ ac prædæ tam sibi quàm heris suis acquirendæ causa, in illos vastissimos campos, permissu suorum herorum excurrunt, vt aliquo numero Scytharum vel Turcarū comprehenso, quid in solo eorum agatur, vel quæ consilia hostium sint, scire possint. Nam quāuis Turcæ ac Scythæ pacem

Velites in Valachiam proficiscuntur.

pacem cum regibus Polonię ſeruare videntur, eiuſdémque volunt cupidi videri: tamen ingenti manu ſuorum coadunata, ſolum Podolicum ac Ruſſicũ effuſè depopulari, magnáque damna inferre ſolent, ni ſubitò velites eis occurrant, ac nonnulla manu ſuorum ſubnixi, numeroſas eorũ copias fugent. Erant autem ij præcipui ductores velitum. Suierceuius habuit ſub ſignis ducentos equites, vir omnibus artibus, pariter militaribus, inſtructus, viribúſque pollens. Barſanus ducentos duxit. Braſlauiẽſium quoque erant ducenti. Hi ſeſe omnes Suierceuij imperio commiſere, nec ſine ipſius voluntate cum hoſte cõgredi auſi. Coſlouius quoque ducentos duxit: Stuſenius itidem: Iancius centum, Socolouius totidem. Qui omnes in Valachiam ſimul ad Palatinum omni metu depoſito, profecti fuere. Poſtquam igitur velites fines Valachiæ attigere, de his Iuonia edoctus, extemplo, qui eos honorificè nomine ſuo, ac liberaliter exciperent, commeatúmque ac rerum

Ductores exercitus Koſacorum.

omnium copiam, quæq; ad victum necessaria essent, liberaliter suppeditarent, mittit. Cùm ad secūdum lapidem à castris Iuoniæ velites cum ductoribus Valachicis abessent, de eis Iuonia certior factus, ipsemet cum pulcherrimo equitatu, adiūctis sibi aliquot ex Senatu, obuiam eis proficiscitur: vt se exhibito, animíque sui in eos voluntate declarata, illos pòst obsequentiores haberet, ac ad quæuis pericula adeunda alacriores. vbi in conspectum eorum venit, præ nimio gaudio, paucis verbis salutatos, singultus vi lacrymarum impediente, ne verbum quidem proloqui potuit, sed secū ductoribus illorum acceptis, eos sese in castra comitari iubet: vt militari conuiuio exceptis, pòst cum eis de periculis imminentibus suis, de bellóque sibi Selymi ingruente, liberiùs loqui possit, reliquis se sequi iussis. Vbi in castra vētum est, bombardarum maiorum artifices ingētem boatum edere iubet, sic vt cœlum sonitu resonare, terra strepere visa fuerit. Postquam satis concentui datum fuit,

Iuonia ad velites proficiscitur.

fuit, tot pedites è numero ſuorum, quot equites velitum erant, egredi iubet, vt ſingulorum equis acceptis, quod ſatis pabuli eſſet, darent, eóſque curarent. Hiſce ita imperatis, Koſacos non certè militari prandio, ſed magnifico ac copioſo conuiuio excipit. Ductores illorũ ſuóſque proceres, ſecum in tabernaculum, quod in patenti campo erectum erat, ducit, eóſque ſecum epulari, vbi & Senatus erat, cogit. Reliquos Koſacos in alia tabernacula ductos ſimili ratione tractare iubet. Poſtquam epulæ remotæ fuere, iubet aliquot argenteas patinas nummis aureis onuſtas afferri, ac ex eis tãtum ductoribus Koſacorum, eorumq́ue miniſtris apponi, quantum ſatis eſſet: dictitans, id eis eo nomine ſe largiri, vt longinquitate itineris fatigati, in balneis lauent corporáque curent. Illi pariter pudore ac quadam admiratione defixi, ſe accepturos negant. Sed vi coacti, ac precibus non ſolùm Iuoniæ, ſed & procerum Valachicorum fracti, accepere, gratiiſque actis pro tanta in ſe mu-

Iuonia velites tractat.

nificentia Iuoniæ, omnes aſſurgẽtes, in conſpectu eius ſtetere. Ille dextra eis ad læuam partem caſtrorum ſuorum, quæ in proximo erant, vt ibi ſtationem haberent, innuit. Deinde mittit eis ſex grãdia vaſa vini generoſiſsimi, ſexcentóſque taleros, vt illud in memoriam nominis ſui exhauriant. Nam alioquin illi militi aqua ſolùm in illis vaſtis ſolitudinibus perpetuus potus eſt. Ad hęc parochos iiſdem, ne quid omnino tam ipſis quàm ipſorum iumẽtis deſit, addit. Appropinquante luce, ipſemet ad ductores velitum venit: quos, vt in tabernaculum ſuum veniant vnà cum comitatu ſuo, orat. eſſe quod ad eos de ſumma rei referat, & quid eos facere velit, omnibus exponat. Qui vbi alacres venere, talem orationem ad eos lingua Polonica habuiſſe dicitur. Si de veſtra fide, virtute, conſtantia, fortiſsimi equites, certò mihi non perſuaſiſſem, nunquam hoc difficili ac periculoſo tempore, vos procul è patria veſtra euocaſſem. Sed cùm hæc omnium conſtanti ore celebrata fuiſſet,

Iuonia ad ſe Koſacos accit.

Oratio Iuoniæ ad Koſacos.

fuiſſet, vos huc euocaui, vt mihi operam veſtram & induſtriam, in hoc bello gerendo contra Selymum, infenſiſsimum hoſtem, præbeatis. pro qua nauata ſi vobis certum ſtipendium militare conſtituere velim: non mediocriter pertimeſco ne meritis veſtris minùs dignū præmium detur. ſed, quicunque ſucceſſus noſtri contra hunc teterrimum hoſtem erunt, omnia vobis, milites, à me largè ſuppeditabuntur, commeatus, pecunia, equis pabulum, ac id genus alia ad eam rem pertinentia. Ego vos, priſtinę virtutis memores, ita vos geſturos eſſe hoc in bello arbitror, prout de vobis omnium opinio eſt, ac eam in animo meo excitaſtis. Vobis autem ſummas perpetuaſque gratias & ago & habeo, quòd ad me, hominem Chriſtianum, ipſi etiam Chriſtiani veneritis. quorum volūtatis erga me, ſemper gratum ac memorem me fore polliceor. Qui etſi pro magnitudine periculi mei pauci eſtis: tamen non minùs mihi gratus eſt conſpectus veſter, quàm ſi duodecim millia mihi in

auxilium aliunde missa fuissent. Quare, qualecunque stipendium volueritis, id me vobis dissoluturum recipio. Nec vos vires Turcarum ita animo pensare velim, quasi à nobis vinci non possint. Fateor eos hactenus miro successu vsos fuisse, qui à sordidissimo initio orti, in tantam amplitudinem peruenere: sed quæ ab eorum perfidia, nõ virtute, profecta, summo cum scelere coniuncta sit. Fateor item Deum immortalem consuesse, quò grauiùs homines ex commutatione rerum doleãt, quos pro scelere eorum vlcisci velit, his secundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere. Sic Turcę si hactenus felici successu vsi sunt, id ita volente ac permittente Deo factum est, vt quanto altiùs ascenderũt, tanto grauiùs corruãt. Plura loqui me vis lacrymarum non patitur. Qui sit animus erga vos meus, vos optimè & perspicere & intelligere posse video. Quemcunque casum fortuna inuexerit, hunc vobiscum communem ducam. Hæc proloquuto Suirceuius

Suirceuius

pauca

pauca pro omnibus militari ac rudi ſer- *pro omnibus Iuoniæ reſpondit.*
mone ſic reſpondiſſe dicitur: Non ſti-
pendium tuum, Iuonia, vt ad te venire-
mus, nos pellexit: quod nos ſemper pro
minimo duximus: ſed potiùs virtus no-
ſtra ſingularis, vt contra hũc fœdiſſimũ
ac acerrimum Chriſtianorum hoſtem
pro incolumitate tua dimicemus. Sti-
pendium non curamus. qualis tandem
fortuna noſtra futura eſt, exitus belli
declarabit. ſatis à te remunerati videbi-
mur, ſi hoſte tuo intra fines regni hiſce
noſtris dextris repreſſo, honeſtam pacẽ
cum eo habueris. Tu verò quid poſtea
nobis præſtare debebis, fortuna noſtra
id te docebit. Nec vires Turcarum hor-
remus: quorum ſucceſſus quales tãdem
adhuc erunt, eos diuinæ prouidentiæ iã
committendos cẽſemus. nos in hoſtem
intenti erimus, vt eum à iugulis tuorum
auertere poſſimus. Oratione Suierce-
uij Iuonia confirmatus, ductores Koſa-
corum ſecum prandere iubet, quibus
epulum dat: alteram menſam Logafe-
tus, Veremias magiſter equitũ, cum re-

liquis Senatoribus occupat. Hæc acta ſunt vigeſima die Martij. Cæterùm Selymus audito reſponſo Iuoniæ, ſimul ira indignationéque accenſus, (quam legatus amarulentis verbis, eò quòd nulla munera à Iuonia acceperat, auxit) ſine mora Palatino Tranſalpinæ Valachiæ triginta millia Turcarum, duo Vngarorum mittit, vt coadunata ſuorum manu, Iuoniam capiat, eóque ad ſe miſſo, ipſe totam Moldauiam occupet, in eáque Petrum, fratrem ſuum, Palatinū conſtituat. Is mandato Selymi alacriter ſuſcepto, ſuíſque ad arma conuocatis, ſimul cū Turcis ac Vngaris flumen Moldauam tranat. Erant ferè omnium centum duo millia fortiſſimorum virorum. Qui non ſolùm Iuoniam è Valachia eiicere poterant, ſed & quemque fortiſſimum regem bello laceſſere ac vincere. Hinc nocturno diurnóque itinere fatigati, vt tam ſua quàm equorum corpora reficerent, nil de Iuoniæ inopinato aduentu ſuſpicati, in loca herbida, quæ ſupra flumen latè patent, equos effuſè euagari

Indignatio Selymi in Iuoniam.

Exercitus Palatini Tranſalpinæ Valachiæ contra Iuoniam.

gari patiuntur. Interea ſpeculatores ad *Iuonia fit de*
Iuoniam prandentem veniunt: flumen *hoſtibus cer-*
Moldauam maximam vim hoſtium tra- *tior.*
naſſe, quibus Turci ſimul cum Vngaris
intermixti ſint: nec eorum certum nu-
merum ſciri poſſe, ſed ſupra cētum mil-
lia eſſe ſuſpicari. nunc omnes equis in
paſcua lęta miſſis, ſe quieti dediſſe. Quos
ſi Iuonia cum parata ſuorum manu ag-
grediatur, facilè ad vnum deleri vinci-
q́ue poſſe. Hæc tanta alacritate animi
à Iuonia audita fuêre, vt Suierceuium
cum ſuis confeſtim præcurrere, datis ei
ſex millibus Valachorum, qui linguæ
Turcicæ gnari, omnia certiùs cognoſce-
rēt, iuſſerit: ipſemet verò cum ſuis, quo-
niam paulo onuſtiores armis erant, ſub-
ſequitur. Suierceuius omnes orat, vt, ſi
lęta ex hoſte victoria potiri velint, quan-
to ſilentio poſſint, ad hoſtiū caſtra nullo
clamore diſſono aut tumultu edito per-
ueniant. Hiſce ita inter ſe compoſitis,
in ſpeculatores Moldauorum, qui ſupra
caſtra ſuorum ſtationes, ne quis impe-
tus in quietos fieret, agebant, incidit.

Capiuntur ſpeculatores. Erant verò hi quadringenti: qui omnes à Koſacis circumuenti capiuntur. Quos primò benignè, demum minaciter alloquuntur, quid conſilij hoſtes habeant, vbi ſint, quid agant: ſi indigna nolint pati, vt exponant, cogunt. Illi ſuppliciter & ingenuè, præſentis periculi metu perterriti, fatentur, Valachos Tranſalpinos pariter cum Turcis, quibus intermixti Vngari ſint, non tam longinquitate ac difficultate itineris fatigatos, quieti ſe dediſſe, ac corpora curare, quàm vt Iuoniam vegetiores inopinatum aggrediātur. Quos ſi iam ſecuros ac omni cura diſſolutos inuadat, eum facilè cōpotem victoriæ futurum. Valachorum Tranſalpinorum non eſſe ampliùs ſeptuaginta millia, Turcarum triginta, Vngarorū tria. *Iuonia de ſtatu hoſtium cognoſcit.* Hiſce Koſaci cognitis, ſubitò ad Ioannem nuntios mittunt, in quo ſtatu res hoſtium ſint, eum certiorem faciūt: vt cum ſuis maturè (in manu enim victoriam eſſe) approperet. Ipſi verò non procul ab hoſtium caſtris, duabus horis ſtationes vigiliáſque taciti agunt, ne vſquam

quam hostis commoueatur, aut quicquã incipiat. Quæ vbi celeriter ad Iuoniam perlata fuissent, statim ipsemet adest, Suierceuiúmque suos disponere, ac quamprimum cum hoste confligere iubet. Ipse verò, quoniam multitudine abundabat, sua acie in lõgitudinem extensa, tribus ex partibus hostium castra, omni præsidio nudata, aggreditur. Suierceuius parte ab altera cum suis citatissimè ad hostẽ, antequam Iuonia accessisset, peruenit: ibíque sublato clamore, castra hostium inuadit. Hostes, ignoto & horribili sonitu repentè exciti, neque fugere, neq; arma capere, neque omnino facere aut prouidere quidquam poterant. Ita cunctos strepitu, clamore, & nullo subueniente, Kosacis instantibus, tumultu, terrore, formidine, quasi vecordia ceperat. Ecce tibi in tanta strage hostium subitò Iuonia cum suis adest: qui & ipse stratos ac perturbatos egregiè cædit. Fugę nusquam locus est. Nam Moldaui procul equos à se in pascua abegerant, nec quomodo fugerent habe-

Stratagema Iuoniæ.

Prima cædes hostium.

bant. omnes nudi inermésque hosti, ad primos successus victoriæ exultanti, iugulum præbent. Fit totis castris plāctus gemitúsque. Ex tanto numero hostium nemo, præter Palatinum Transalpinæ Valachiæ, vnà cum Petro fratre, quem in Valachiam fretus tantis copiis deducebat, fugit. Hi igitur, conscensis equis, qui in tanto periculo vix eis oblati erāt, pernicibus, per lacum qui ex Danubio oritur, tranant, peruenerèque ad arcem Brailouiensem ad præfectum Selymi: reliqui omnes ad vnum cæsi, alitibúsque obiecti. Tum spectaculum fuit horribile. in campis patentibus omnes viri afflicti: ac multi vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati, niti modò, & statim concidere. Postremo, omnia quà visus erat, constrata telis, armis, cadaueribus: & humus infecta sanguine. In castris multum opulentiæ repertum fuit: quæ Iuoniæ omnis cessit. quam ille militibus, in primis verò Kosacis dat, qua plurimùm ditati fuere. Iuonia in iisdem castris quatriduū moratus,

Fuga Palatini cum fratrè Petro.

Castra capiuntur.

tus, vt ſuorũ corpora cæde hoſtium defatigata, viribúſque exhauſta reficeret, cadauer Palatini ac fratris Petri ſumma cura requirit. Quo haud reperto, rectà exercitum in regionem Palatini Valachiæ Tranſalpinæ inducit: caſtella oppidáque & natura & viris parum munita, adgreditur: quoſque obuios nulla fœminei ſexus ratione habita, necare, puberes interficere, villas & vicos pariter cum oppidis igne ſuccendere imperat. Triſte ac miſerum ibi ſpectaculum fuit, cùm illam partem Valachiæ Tranſalpinæ omnes fumantem ac flamma relucentem aſpiciebant. Trahebantur ſenes ad cædem, rapiebantur parui pueri ad necem, matronæ pariter cum virginibus ſtuprabantur: quæque crudeliſſima & acerbiſſima perpetrabantur. Iuonia vniuerſos laudat, atque agit gratias: hortatur ad cętera quę leuia ſunt, parem animum pro victoria gerãt. ſatis iam pugnatum: reliquos labores pro præda fore. Hac tali populatione victor exercitus ad Tranſyluaniam, ſiue Sedmigro-

Iuonia Palatini ditionem vaſtat.

densem regionem, peruenit: visaq; Brasouiensi arce, iter ad inferiorem Danubij ripam deflexit. Ibi cognoscit Palatinum Transalpinæ Valachiæ vnà cũ Petro fratre esse in arce: itaque protinus aduersum illud oppidum suos ducit. Est ciuitas Brasouiensis supra Danubium sita: quæ arcem percommodam habet, & natura loci & firmo præsidio bene munitam. Ibi Iuonia non procul ab oppido Brailouia arcéque, nactus locum percõmodum communiendis castris, sic vt ex arce tormentis muralibus nulla ratione infestari posset, aberat. Hinc scribit literas ad præfectum arcis, eásque duobus captiuis Moldauis perferẽdas committit: quibus illum orat vt Palatinum Trãsalpinæ Valachiæ, perẽnem hostem suũ, vnà cum Petro fratre, qui ob nullum ipsius maleficium bellum ipsi intulerint, ac post infeliciter tentatum prelium ad eum ex acie fugerint, extemplo sibi tradat: alioquin se exercitũ ab oppido non remoturũ, donec vi adactus eos dedat. Ad has literas sic præfectus arcis, per quatuor

Castra Iuoniæ ad Brailouiam.

quatuor Turcici ſanguinis, (quorũ duo oppidani erant, duo ex arce domeſtici) reſpondet, ac ſimul Iuoniæ decem globos grandes tormentarios, totidem minores cum duabus ſagittis mittit. Audio te, inquit, miniſtrum eſſe Selymi: ideo rationem tui habeo. eos minimè apud me eſſe, quos petis, nego: ſed cùm ad aures meas perlatum fuiſſet, te ingentem multitudinem exercitus Cæſaris ceciſſe, qui mãdatis ipſius parentes, in Valachiam Petrum fratrem Palatini Trãſalpinæ Valachiæ deducebãt: edico tibi, niſi hinc obſidionem quamprimum ſolueris, huiuſmodi ferculis cum tuis paſcêris: quibus vnà cum exercitu tuo ſatiatus, pòſt ructabis. Hoc tale reſpõſum tantam Iuoniæ indignationem mouit, vt illis ipſis internuntiis quatuor comprehẽſis, naribúſque eorum ſimul cum labiis ac auribus pręciſis, pedes ſingulorum ſurſum verſos longiſſimæ trabi ferreis clauis affigere iuſſerit, eóſque terrã capitibus attingentes ante oppidũ ſclopetarios ferre abiiceréque imperarit.

Reſponſum præfecti arcis.

Iuoniæ indignatio in internuntios.

Nouum genus crudelitatis.

Horrendum id omnibus ſpectaculum fuit: quo Iuonia pręfecto arcis demonſtrare voluit, eum ſimilem exitum vnà cum profugis manere. Hoc tali triſti exemplo edito, nulla mora interpoſita, pedites ſcalis in eum vſum paratis, admotis, mœnia vrbis clamore ſublato conſcendere iubet. Nec conſilium euentus moratus eſt. Nam pedites tanta celeritate ſeſe ſub mœnia oppidi inſinuauere, vt priuſquam oppidani ſeſe ad reſiſtẽdum opponerent, euaderent in murum. quo diruto, totus exercitus in oppidum irrupit. Ibi ingens cædes Turcarum facta fuit, nemini parſum. ubi ex cæſorum cadaueribus ſanguis inſtar riui in Danubium profluxit: parui pueri ab vberibus matrum abrepti, vagientes occiſi. Quatriduum ibi in cædibus perſeueratũ eſt: in locis abditis ac occultis latitantes homines quæſiti, ex latebríſque ad cædem tracti: tota vrbs direpta, ac per iram incẽſa, nullo hominum, ac ne canum quidem inter incendia ruináſque relicto. Plurimum ibi auri, argenti, pecuniæ ſignatæ,

Celeritas peditum.

Capitur oppidum, ac cædes ingens.

gnatæ, vnionum, margaritarum, repertum est: quæ omnia prædæ militum cessere. Erat ea ciuitas in illis locis omnium opulẽtissima, eò quòd post occupatam à Turcis Græciam, multum diúque in pace vixit: qua parta, nullo motu belli cõquassata, supremam tum cladem adiit. Nam à victore hoste ne vna quidem domus integra relicta fuit. omnia euersa ac solo adæquata fuere, præter arcem, quæ omni prę sidio vrbis nudata, sola relicta fuit. Ad quam capiendam Iuonia suos admouere voluit, ni à præsidio, quo arx validè firmata fuit, clades pœnitenda subeunda foret. Interea Iuoniæ in direptione vrbis occupato, speculatores adsunt, qui ipsum certiorem faciunt, quindecim millia Turcarum magnis itineribus in subsidium arci Brailouiensi venire. Quibus ille cognitis, ac nihil tãta multitudine hostium territus, cõfestim Suierceuium cũ Kosacis, additis ei octo millibus equitum Valachicorum, contra illos mittit. Ad quos vbi is præproperè aduolasset, nullo illis spatio ad recol-

Funditus deletur vrbs.

Victoria Suierceuij. ligēdas vires dato, cum eis alacriter preliū init. Omnes occisi ac perempti, præter mille equites, quos fuga subtraxit. Quibus Suierceuius insecutis, multos pallat & cædit. Qui cædi supererant, fuga ad arcem Teinensem, quæ ditionis Turcarum erat, delati sunt. Erant in proximo, non procul ab illa ipsa arce, Turcarum copiæ, quibus agmina Scytharū intermixta erant. Subitò Suierceuius ad Iuoniam cum læto victoriæ nuntio mittit, certissimam ex hoste victoriam pollicens, modò omissa oppugnatione arcis Brailouiensis, cum omnibus copiis absque mora adsit. Ille, tā læto nūtio accepto, arce Brailouiensi neglecta, cuius expugnationem & sibi difficilem, & periculosam esse sciebat, ad Suierceuium celeriter venit. Quocum consiliis communicatis, simul illas ipsas copias aggressi delent, & ad internecionē dant. Hinc ad oppidum Teimense exercitus admotus. Quo facilè, sine vllo oppugnationis labore, & expugnato & capto,

Aliæ copiæ Turcarum.

Iuonia ad Suierceuium venit.

pto, omnes oppidanos, pariter cum fœminis, crudeliter, ne vno quidem ex tãta multitudine relicto, necat. Hosce Iuoniæ successus Suierceuius cum suis Kosacis adiuuabat. Nam primus semper cũ Turcis hastatis prelium inibat. in prima fronte equites cum tormentis manuariis locabat: quorum horrendo sonitu, crebrísque ictibus globorum, semper Turcarum aciem non mediocriter turbabat. A dextro cornu eis sagittarios opponebat: qui grãdine sagittarum immissa Turcicas acies vulnerabant. A læua parte erant locati qui erectis breuioribus lanceis, in omnem occasionem intenti, Turcas eis confodiebant. Quos Suierceuius ab his cõturbatos, cædi Valachorum obiiciebat. Interea sexcenti Kosaci oppidum Bialogrodense versus, quod est ditionis Turcarũ, citato agmine proficiscuntur: quo direpto ac succẽso, dimidiata pars ipsius fœdo incendio conflagrauit. Plurimum ibi prædæ non ignobilis repertum fuit: qua militi obie-

Oppidum à Iuonia capitur.

Stratagema Suierceuij.

Iuonia exercitum quiete reficit.

cta, multum ea ditatus fuit. Iuonia verò cæde Turcarum fatigatus, læta quiete, non procul ab arce Teinicensi, quam nudam in patētibus campis reliquerat, per octiduum suos reficiebat. Vbi iterū repētè fit certior, Turcarum simul cum Scythis aliquot agmina, ab oppido Bialogrodēsi proficisci, qui in proximo Iuoniam cum exercitu adesse ignorantes, dispalati huc illuc, reperto vado tranabant. Quos procul Kosaci conspicati, orant Iuoniam vt ipsis potestatem illos inuadendi pallandíque det. Ad quos sic Iuoniam verba fecisse, vt autor est Bartholomæus Paprocius, intelleximus.

Iuoniæ oratio ad Kosacos.

Vestra incredibilis, Poloni fortissimi, virtus facit, hícque ardor pugnandi, ij vestri successus, vt vobis nolim quicquā à me denegatum esse. Ite Deo comite, proficiscimini felices: hostiúmque exercitus, vt vsu edocti estis, cædite. Tibi autē, Suierceui, hic totus exercitus curę sit: quos ita contra hostem instrues, prout occasio rerum gerendarum postulabit. Hæc vbi dixit, Suierceuio tria millia

lia Valachorum, vt eorum opera contra hostem vtatur, addit. Quibus ille acceptis, ei gratias agit, quòd de se tantam opinionẽ habeat: quam ne fallat, se etiã atque etiam diligenter curaturũ. Acceptos igitur Valachos cum Kosacis nõ miscet, sed ab agmine suorum remotos, ex eis nouam aciem quandam post terga Kosacorum instruit. Suos verò illos ducentos mille Kosacos, in tria agmina disponit. Quadringẽtos in prima fronte scutis rotundis tectos locat, ac hastatis Turcis obiicit. Ipsemet sibi dextrũ cornu cum sagittariis quadringentis sumit. In læuo totidem cum lanceis missilibus locat. Turci eorum paucitatem conspicati, eámque præ se contemnentes, prelio sese expediunt. Qua visa re Suiercevius equites, quos in prima acie collocauerat, tormenta in eos displodere iubet. Quibus turbatis nimbo sagittarum, in eorum agema suis immissis ex læuo latere, eos hastis vrgere iubet. Sic illi ancipiti prelio distenti, (nam in vnicum tantùm agmen coadunati erãt) egregiè

Suiercevius Iuoniæ respondet.

Committitur pugna.

à Kosacis cæduntur: quibus, qua vi possunt, Turcæ simul conglobati resistunt. Ab initio ferè horam anceps preliũ stetit: donec Valachi, post velites à Suiercouio dispositi, intenti in pugnam, vegetes animo ac corporibus, haud secus quàm diu retentæ feræ concitati, cum ingenti clamore ad velites aduolant. qui maxima vi in agema Turcarum turbatum incurrunt, eósque omnibus ex partibus, quibus pedites intermixti erant, aggrediuntur. Pedites nunc equis crura succidunt, nunc ilia suffodiunt: qui in fugam dissipati, omnes fermè terga vertunt, à velitibúsque cæduntur. Ex quibus solùm tres desiderati, ex Valachicis centũ. sic Polonis paruo tum insignis victoria stetit. Iuonia ex longinquo tam inclytæ victoriæ spectator fuit. Hostiũ castra cũ impedimentis & capta & direpta fuere. plurimum ibi prędæ inuentum: quæ viritim militi distributa. Capti erant hostium ducenti: qui omnes ad Iuoniam tanquam pecudes adducti fuere. Quos is inter pedites sclopetarios pellere iubet:

Victoria velitum.

bet: qui omnes ad vnum, falcibus maioribus, quibus fœnum ſecari ſolet, in fruſta conciduntur. Dux illius victi exercitus, in poteſtatem Polonorũ venit: homo tantæ opulentiæ, vt ſexies ſe librari atque redimere, modò ne Palatino vi- Opulentia ducis. uus traderetur, voluerit, bis auro in altera ſtatera poſito, ter argento, ſemel margaritis. Fuit egregiæ ac proceræ ſtaturæ, ad promerendámque gratiam habilis. Sed apud Polonos plus fides quam Iuoniæ dederant, valuit. Nam antè ex tot ſpoliis Turcarum, auro & argento ſatiati, omnes pollicitationes eius flocci pendentes, eum viuum in poteſtatem Iuoniæ tradũt. Quocum ille per aliquot dies colloquium de rebus Turcicis habuit: poſthac eum peditibus membratim diſſecandum obiicit. Hinc ad Vſſam oppidum ſuum copias mouit: vbi tot preliis fracti exercitus vires refocillauit. Interea Selymus, Cõſtantinopoli tot Iuoniæ victoriis perturbatus, ac territus ne Selymi terror. planè Valachia exueretur, ac è Græcia (quod illi, opinor, cõtigiſſet, ni defectio

Czarnieuiecij ad Turcas obſtitiſſet, pelleretur: cum ſuis Deo more ſuo ſupplicat. Nam Turcæ peculiarem religionem, à Muamede, ſeu Mahomete, hinc ab anno Chriſti milleſimo ſupra vigeſimum, quam Mahometes Saracenis anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo tertio obtruſerat, acceptam habent. Ne verò quis Saracenos & Turcas eiuſdem ſtirpis aut originis eſſe exiſtimet, nonnulla mihi de origine vtriuſque gentis eſſe dicenda videntur. Saraceni longè ſunt vetuſtiores Turcis. Ij ſedes ſuas, regnante tum Lechone apud Polonos, in ea parte Arabiæ quæ Petræa dicitur, habuere, vocabantúrque ab incolatu loci Arabes: ſtipendiúmque ſub Heraclio, tũ bellum cum Coſtrea rege Perſarum gerente, merebant. A quo, ſtipendio militari exautorati, vt ignominiam nomini ſuo inuſtam vlciſcerentur, Mahometo ſe adiungunt. qui Meccæ, in vrbe opulenta, in tãto diſſidio Chriſtianorum de religione, adiutus à Sergio, monacho factionis Neſtorianæ, à Chriſtianis diuerſa

Proponit ſe de origine Saracenorum ac Turcarum dicturum.

uerſa

uersa docere cœpit. Arabes enim vana opinione ducti, se vnicos mortalium esse à Sara, vxore Abrahæ, genitos, regniq; cælestis legitimos hæredes, opinati sunt. quorum opinioni Muamedes assentiẽdo, eos ad se pellexit. Vtq; militarem disciplinam inter eos cõstitueret, multitudini decem duces, ex nobilioribus, potentioribus, ac sibi affinitate iunctis, præfecit, eámque in cohortes ac centurias distribuit. cuius viribus adiutus, Meccã, vrbem in Arabia opulentam, demum aliquot oppida capit, ditionísque suæ fecit. Hinc facilè tota Arabia potitus, venerabilem se tot populis præstitit. Post cuius mortem, apud Saracenos, pontifices ad Caliphum, seu Mustacenum, in Perside potentes fuere. Hinc Africa potiti, pariter cum magna parte Hispaniæ, sæpe Siciliam, quondam populi Romani, victoris tot gẽtium, prouinciam, Italiam, Galliam, infestarunt. Quorum audaciam Carolus Magnus armis vix repressit. Pòst, anno Christi nongentesimo supra octogesimũ primum, vel pau-

Opinio Arabum de sua stirpe.

Potentia Saracenorum.

lo plus minúſve, Scytharum multitudo, qui præ cæteris ad orientem vergunt, circáque Tanaim ſedes ſuas habent, domo profecta, ſine duce, ſine legibus, vagi diſpalatíque, ex raptu prædáque aliquandiu vixerũt: donec Perſas, qui tum Saracenis ſubiecti erãt, bello adorti, eorum vrbem magnam & opulentã, Turcẽ nominatam, occuparũt: à qua ſe pòſt eodem nomine Turcas, ſeu Turcos, dici voluerunt. De Turcarum origine alios diuerſa tradidiſſe video: quos aiũt ex Caucaſi portis egreſſos, primùm finitimas gentes, & in his Armenios, inuaſiſſe: inde minorem Aſiam, ab hinc anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo quarto, ab eis occupatã fuiſſe. Quæ que ipſi de ſe memorant, non omnino diuerſa à ſuperioribus eſſe videtur. quorum hæc ſententia eſt. Gẽtis autores ſuę, ex Caſpiis montibus ac finitimis pulſos, in Perſidem & minorem Aſiam deſcẽdiſſe: nec priùs apud eos regiam familiã cœpiſſe, quàm ſint è Scythia profecti, cùm antea ſine duce, ſine legibus viuerent.

Aſia à Turcis occupatur an. Christi 844.

rent. Inde (vt sunt humanarum rerũ vices) ex cuiusdã Othomani successu, celebrari vnam familiam cõtigisse: ex qua reges, demum Cæsares creare consueuerint, & hodie creẽt. idque ita accidisse memorãt, vt tres numero fratres, in ampla & regia fortuna à patre relicti, cùm vicissim imperitare cœpissent, siue pudore impediente, siue metu, quum parũ tutum esset nõ cedere ætati: duo minores natu, Aleus & Othomanus, regno maiori fratri relicto, domo vterq; cum manu sua profecti, hic Cappadociam, Galatiam & Bithyniam occuparit: ille Caramaniam, Lycaoniam, & eas terras quæ Tauro adiacẽt. Et hæc Turci de se memorant: quibus perbellè se Scythas esse fatentur. Cælius Curio, qui Saracenicam historiam scripsit, de origine gentis, eorúmq; regibus prorsus diuersa tradit. qui vult Turcas originem stirpis ab Hunnis sumere, nec apud eos tũ primùm Othomanum regnasse, sed longè antè, ante Trangolipicem Mucaletum. Etenim Saraceni, in aliquot factiones

Sententia Curionis de origine Turcarum.

Trangolipix, primus rex Turcarum.

principum, qui tum totã Persidem pariter cum Africa obtinebant, diuisi, inter se domestica bella gerebant, seséque ciuili ferro confodiebant. orto igitur bello inter Muhumetum, qui tum in Perside regnabat, & Babylonium Calysam, Muhumetes ad se Trãgoplicem, qui è Caucasi mõtis angustiis cum Turcica multitudine egressus, circa fines Persarum vagabũdus degebat, accersit. A quo adiutus, Calysam facilè vincit superátque. Turcæ igitur, ex Perside cum duce suo regredi volentes, transitúmque sibi tutũ per põtem qui Araxi flumini impositus erat, concedi à Muhumeto postulantes, (quos ille apud se retinere cupiuit, vt opera eorum contra Indos vteretur) id se facturũ detrectat. Illi, simul ira indignationéque accensi, (quorum solùm tria millia erant) veritique grauius periculũ, in Curbãtidem solitudinem sese subtrahunt, indéque crebris excursionibus agros Saracenorũ depopulantur. Quorũ ferociam Muhumetes reprimendam ratus, triginta millia Saracenorum cum

certis

certis ducibus ad eos delendos mittit. Sed Turcæ, audito aduentu eorum ad ſe, in denſiores ſolitudines ſeſe ſubducunt, vt captata occaſione Saracenos opprimere poſſint. Nec cōſilium euentus moratus eſt. Nam exercitus Muhumetis, Turcas metu ceſſiſſe ratus, nullis ſtationibus habitis, ab eis per inſidias contrucidatur. Hac tam inſigni clade ſuorum Muhumetes irritatus, comparata ingenti manu ſuorum, ipſemet contra Turcas, quorum iam exercitus ex colluuie tot gentium creuerat, proficiſcitur. Quibuſcum non meliori euentu collatis ſignis acriter dimicat. Nā Turcę, aſſueti Saracenos vincere, Muhumeto occiſo, qui equo lapſo ceruices, cùm ſuos ad acriter prelium ineundū adhortaretur, fregerat, ex Saracenis facilè victoria potiūtur. Cuius admiratione Saraceni defixi, illum ipſum ducém Turcarum, Trancoplicem, regem apud ſe creant. qui, accepta pariter cum ſuis religione Mahometana, vnà cum Saracenis in vnū corpus Reipubl. coaluit. Tran-

golipix igitur à Saracenis in Perside rex factus, omnes magistratus dignitatésq; à Persis in suos transfert, indigenísque Persis, quorum reliquiæ adhuc supererant, oppressis, inter suos ac Saracenos vniuersam Persidem diuidit. Quóque finitimis terribilior esset, à suis nouo nomine Sultanus (quod nomen lingua Latina summum imperatorem sonat) appellatur. Qui pòst per manus posteritati suæ regnum tradidit. Ac ne qua inter Saracenos ac suos discordia esset, omnes Turcas, à ciuitate quæ in Perside diues opum fuit, appellat. Turcæ, tanta potentia aucti, illos ipsos Saracenos qui in Africa potentes erant, adorti, cum eis societatem ineunt, simúlque armis iunctis, Constantinopolitanis imperatoribus, reliquóque Romano imperio, terrori formidiníque, quod ad Germanos translatum fuit, fuere. Durauit potentia Sultanorum Turcarũ vsque ad bellũ Scythicum, seu Tartaricum, quod Scythæ Turcis illis qui Persidẽ obtinebant, anno Christi millesimo ducentesimo

Origo nominis Sultani.

Turcæ à Scythis in Perside deleti anno Christi 1240.

supra

ſupra quadrageſimũ, intulerũt. Quibus deletis, (quo etiam tẽpore vniuerſa Polonia, viuo rege Pudico, ab iiſdẽ Scythis magnam cladem acceperat) vix ex tam numeroſa multitudine pauci eorum relicti fuere: qui infima plebe ſibi aſcita, nil ſecum præter arcum ac pharetram geſtantes, latrocinari cœperunt, nec vllo rege vſi ſunt. Nihilominus nomen Sultanorum manſit penes illos Saracenos qui in Africa erant: qui ſe antiquo nomine Saracenico quàm Turcico appellare maluerunt. Turcæ igitur latrociniis aſſueti, anguſtias montium inſident, ex eíſque finitimos agros, & Romani imperij vrbes crebris incurſionibus vexãt. Non tamen viribus Scytharum, quibus finitimi erant, pares eſſe poterant: quos illi ad finitima Græciæ pellebãt. & quàm infirmi contra Scythas erant, tam fortes contra Græcos exiſtebant: adeò vt tandem etiam cum Græcis Cæſaribus ad aperta bella deuenerint. quorum copiis ſæpe deletis, Romanas prouincias depopulabantur, ad Sangariúmque amnem *Turcæ vires recuperant.*

vſque populatione peruenerunt. Hinc à mari Pontico atque à Galatia ad Lyciũ atque Carium mare, & Eurymedõtem fluuium, omnia ditionis ſuæ fecere: veteríſque nominis ſui memores, quod fortaſſis in gente nõ abolitum fuit, Turcas ſe appellant. Quoniam verò ſe cõmodè ſine ducibus viuere non poſſe vident, ſex potiſſimùm è numero ſuo legũt: inter quos omnes prouincias, quas breui temporis ſpatio conſecuti ſunt, partiuntur, eorúmque imperio ſe ſubiiciunt. Caramanũ Aliſurium: cui Phrygiam mediterraneam, Philadelphiam vſque, & prope Antiochiam ad Mæandrum fluuium ſitam, (à cuius nomine pòſt illa tota regio Caramania appellata eſt) concedunt. Saraconem: cui quicquid eſt Smyrnam vſque ad interiorem Ioniæ oram, dant. Saſanum: cui Magneſiam, Prienen, Epheſum largiũtur. Calanum, eiúſque filium Ceraſum: cui Lydiam, Ætoliam, Myſiam quæ eſt ad Helleſpontum ſita, impertiuntur. Armarij filios: quibus eàs terras quæ à flumine Sãgario

Turcæ inter ſuos duces imperium partiuntur.

Caramani regnum.

Saraconis.

Saſani.

Calani.

Armorij filiorum.

gario ad Paphlagoniam vsque extendũtur, fruendas permittunt. Atmanum, seu Othomanum: quem omnibus regionibus quæ circa Olympum sunt, præficiunt. A quo Othomano hodierni Turcici Cæsares hinc ab Christi regis ortu millesimo supra trecentesimum primũ, originem sumũt: à quo tam Italici quàm Germanici scriptores historiã suam inchoant. Atque hæc quidẽ origo Turcarum, eorúmque regum successus mihi verior, vt Cælius tradit, esse videtur, quàm quòd primò ad Othomanum referatur. siquidem illi longè antè Turcicis Sultanis, quemadmodum ex superioribus liquere puto, hinc ferè à sexcẽtesimo anno, vsi sunt. Othomanus igitur præ illis reliquis, inter quos Turcicũ imperium diuisum fuit, longè gloria rerum gestarum superior fuit: quibus non multò pòst bello illato, eisdẽ iugum imposuit. Nec hic successus ipsius solùm contra Turcicos imperatores fuit, sed & contra Christianos: inter quos cùm discordia glisceret, Bithyniam & omnes

Othomani.

Othomanus regnare cœpit anno Christi 1301.

Othomani imperium ac felicitas.

circa Pontum prouincias, decem annorum ſpatio (tandiu enim rex fuit) ditionis ſuæ fecit. Filius huius Orchanes, paternæ virtutis æmulus, bellũ per manus acceptum ſtrenuè eſt executus: miráque felicitate Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam ſubegit: armáque ſua in Helleſpontum vſque ad Euxini littora promouit. Poſt hunc alij qui regnarunt, celeri curſu victoriæ, vſi mira felicitate, tot populos vſque ad Baiazethem ſubegerũt: cuius Tamberlanes, Scytharum rex obſcuro loco ortus, imperium adeò labefactauerat, vt eodem capto, caueaq́; incluſo, eum in ludibrium per totam Aſiam ſecũ duceret: cui ſiquando equus conſcendendus erat, tergo ipſius pro ſcabello vſus fuit. Pòſt Amurathes exercitũ in Europam deportauit. Mahometes verò ſecũdus, Conſtantinopolim, toties armis Saracenorũ oppugnatam, (quæ olim Byzantium dicta fuit) occupato regno Trapezuntis, nominéque Cæſaris occidẽtalis aſſumpto, Græciam omnem, Thraciam & Myſiam, ſeu Vala-

Orchanes Othomano ſuccedit.

Baiazethes à Tamberlane captus anno Christi 1392.

Amurathes.

Mahometes ſecundus.

Valachiam, cũ Illyrici parte, & ad Istrum latè omnia per Pontum occupauit. Tam insolenter Mahometes ac crudeliter, capta Cõstantinopoli, victoriam exercuit, vt omnibus Christianis gladio dissectis, Constantinum eius vrbis Cæsarẽ interfecerit, eiúsque caput ludibrij causa pilo affixum in castris circumferri iusserit. Pòst sęuitia sua in nobilitatem conuersa, omnes inter conuiuia per ludibriũ contrucidauit. Magna iam tũ potentia, post imperium occidentis à Turcis occupatum, Cæsarum Turcarũ fuit: quam duo potentissimi reges non mediocriter infringebant. quorum alter Asimbæus, quem Vsancassanum, quasi heroa magnum, Persæ appellabant, fuit. qui in Parthia & Perside regnabat. cuius regnũ ibidem initium à Mutare sumpsit: quem Iozedus, filius Muabiæ, qui post Mahometem Saracenis præfuit, præfecit. Sed Mutaris regnum in Perside apud Saracenos propemodum extinctum fuit: quod post lõgam seriem annorũ à quodam Sopho, qui in Perside Ardenolim

Mahometes Constantinopolim cepit anno Christi 1453.

Duo reges potentiã Turcarum infringunt.

Asimbæus Turcarum hostis.

Initium regni Asimbæi.

Sophi origo.

Sophianorum

oppidum tenuit, ab anno Christi mille- simo quadringentesimo octogesimo, qui Mahometanæ religionis erat, renouatum fuit. De Sophi pietate ac sanctitate, tanta opinio apud vulgum fuit, vt magno numero mortalium ad se pertracto, ab eo tempore in Perside reges qui Sophini appellantur, regnent. Ibiq; stirps Saracenica, quæ à Turcis extincta erat, renouata fuit: acerrimáque bella vsque hactenus cum Turcicis imperatoribus gerunt: quorum vires non mediocriter, siquando bella eis hîc in Europa cum Christianis gerenda sint, distinētur. Alter, Sultanus in Ægypto. quorum Sultanorum nomen ab illis Turcarum regibus, qui idem nomen à primo rege Trangoliplice sumpserunt, desumptum est. Obtinebant nonnullo tempore Ægyptū Hierosolymitani reges: quæ eis à Saladino hinc ab anno Christi millesimo cētesimo quinto, qui stirpis Turcicæ fuit, erepta erat. Qui, incolarum mollitiem pertæsus, Calyfáque (fuit id nomen pontificis summi apud Saracenos)

regnum in Perside anno Christi 1480.

Secūdus rex Sultanus Turcarum hostis.

Saladinus regnum Ægypti occupauit anno Christi 1105.

nos) vnà cum vniuersa stirpe deleto, siue à nepote ipsius, nouum genus militię ibidem instituit. Nam cùm populos, qui magis ad septentrionem vergũt, australibus ad belli vsum aptiores esse videret, subitò cum populis quibusdam circa Mæotim & Pontum sedes habentibus, qui à veteribus Zigi, à nostris Circassi appellantur, fœdus init. à quibus emptis pueris, adolescentulis, eos in Ægyptum perducit. quos ab ineunte ætate in militari disciplina erudit. armorúmq; vsum edocti, adeò hic in Ægypto ordo creuit, vt penes eos solos armorum vsus, ac belli potestas, omniúmque dignitatũ, fuerit: qui Mamaluchi, id est serui, sunt appellati. Pòst, Saladini stirpe in Ægypto, anno à nato Iesu Christo millesimo quadringentesimo, extincta, ad eos Mamaluchos regnum Ægypti translatum est. qui è numero suo rege creato, terribiles ac formidolosi Turcicis imperatoribus fuere. Atque eo tempore in oriente tria regna solùm potentissima, certis limitibus terminata fuere: Sophianorũ,

Stirps Saladini in Ægypto extincta, anno Christi 1400.

Regnum Sophianorum.

qui in Perside, Media, Mesopotamia atque Assyria regnabant: Sultanorum Ægypti, qui à Cyrenæis Africæ, per oram maritimam Issicum sinum, qui Ciliciā à Syria disiūgit, & introrsus hinc ad Euphratem & desertæ Arabiæ terminos, illinc aduerso vsque ad arenarum solitudines, læua dextráque per Arabicum sinum ad Erythręas angustias extendebatur. Turcarum Cæsarum, quicquid Euphrate, & Amano mōte, Cilicióq; mari ac Euxino continetur, erat. hisce adde Græciam omnem, Thraciam & Mysiā, quæ Valachia vocatur, cum Illyrici parte, & ad Istrum latè omnia per Pontum, vsque ad Theodosiam, Thraciæ Chersonesi emporium. Sique ea concordia Christianorum regum fuisset, vt omnibus ex partibus Turcas aggressi essent, facilè eos non solùm è Græcia, sed & ex Asia vltra Caucasum mōtem, vnde primò egressi fuerant, pellere potuissent. cùm & Scanderbegus, Epirotarum regulus, contra eos feliciter belligerabat: quorum tum supra trecēta millia ad interne-

Sultanorum.

Turcarum Cæsarum.

ternecionem dedit, ipſéque Amurathes ſub mœnibus Croię Turcarum imperator expirare coactus fuit. Sed illi ſucceſſus Scanderbechi contra Mahometē non profuerunt. Poſt cuius mortem, ab eo capta Epiro, exercitúque Perſarum règum deleto, Turcicæ vires à Sultanis Ægyptiacis haud ſuſtineri poterant. Nam Selymus, Baiazethis filius, gloriæ & imperij auidus, bello Campſoni Sultano Ægypti illato, eũ interemit. Poſt cuius interitum, Tomumbeium à Mamaluchis conſtitutum, nō ſolùm regno, ſed & vita, omnibus Mamaluchis deletis, ſpoliauit. Hinc ferro in promiſcuam multitudinem conuerſo, vniuerſum nomen Sultanorum funditus ſuſtulit, vniuerſa Ægypto potitus, illáq; parte Meſopotamiæ in qua Hieroſolyma fuit, quæ tum deſerta incultáque erat, nec à Iudæis, veteribus incolis, qui tum toto orbe extorres, in admiſſi ſceleris pœnam, nec ſedem nec patriam habebāt, habitabatur. Huius filius Selyma-

Selymi bellum contra Campſonem.

Succeſſus Solymani.

nus, memor virtutis paternæ, Rhodum imperio ſuo memoria patrum adiunxit: Vngariæq; bello illato, cùm antè Wladiſlaus, patruus Sigiſmundi, qui tum & rex Vngariæ & Poloniæ fuit, ab Amurathe, omni exercitu ipſius profligato, interemptus fuerit, cum Ludouico, nepote Sigiſmundi primi, regis Poloniæ, collatis ſignis, fortiter dimicauit. in qua pugna triſti, Ludouicus, omnium cum acerbo deſiderio, interiit, ſuíque in animis omnium triſte deſiderium reliquit. Hinc per ſpeciem ferendi opem Iſabellę, ac Ioanni filiolo, in cunis vagiẽti, contra Ferdinandum tum regem Vngariæ, Budam cum adiacẽtibus locis occupauit, Selymóque filio amplum ac florens imperium, Caroli Cæſaris in Africa ſæpiùs claſſe in alto, Venetorúmq; depreſſa, reliquit. Qui Venetis erepta Cypro, ſupremam cladẽ Iuoniæ, perfidia Czarnieuiecij adiutus, attulit. Vnde quiuis facilè iudicare poteſt, impiam Turcicã gentem, à tenui principio ortam, ad tantam amplitudinem imperij nulla alia re, ſolùm

Selymi imperium.

solùm per ſcelus ac per fraudem, Chriſtianorum diſcordia ſubnixam, occupato regno Ægypti, omnibúſque prouinciis quæ Sultanorum erant, perueniſſe: quod Alexandri magni Romanorúmque potentiæ comparari poteſt, ne dicam anteferri. Quod non tam facilè vnius gentis viribus infringi poteſt, ſolùm conſenſu omnium Chriſtianorum: qui in tanta eorum diſcordia nunquam, opinor, futurus eſt. imò inter eos magis diſcordiam gliſcere videmus, quæ eos ad ciuile ferrum, domeſticúmque ſanguinem effundendum adducit. Sed nos cœptam hiſtoriam cõtinuemus, ad Iuoniámque, vnde digreſſi ſumus, reuertamur.

Redit ad hiſtoriam.

Iuonia poſt tot ex Turcis partas victorias, ad ſe Ieremiam Czarnauieciũ Barcabalum, præfectum arcis Chocimenſis (eo enim nomine pręfecti arcium lingua Valachica appellãtur) accerſit, ſicq; verba feciſſe in conſpectu omnium dicitur. Cùm optatis noſtris fortuna, Czarnauieci, ſucceſſibúſque, quibus contra

Oratio Iuoniæ ad Czarnauiecium.

Turcas, crudelissimos hostes, hactenus vsi sumus, respondeat: est quòd gratis animis id prosequamur, ipsiq; Deo opt. max. perpetuas ac sempiternas gratias & agamus & habeamus, quòd res nostras contra hosce teterrimos hostes secundat, nobísque ex eis tot tãtarúmque victoriarum autor est. Nunc quid aliud restat, nisi vt exercitum tot laboribus fatigatum domum remittam, proficisciq; patiar, vt, cùm ad nostras aures de aduẽtu Turcarum peruenerit, illico ad primum signum, quod classico dabitur, recreati adsint. Tu verò, cuius fides erga me constans fuit, hunc exercitum à me (erant autem Valachorũ tredecem millia, armis virísque instructa, qui cuique validissimo hosti opponi poterant) cape. quocum ad Danubij ripam proficiscere, transitúque, si eum Turcæ tentare velint, arce. Est ibi in proximo ex altera parte super Danubium, oppidum Oblaciẽse, Turcarum ditionis: in quod tu intentus eris, (ne alibi vado Turcæ reperto, Danubium traiiciant) méque de eorum

rum aduentu quamprimum certiorem facies. Postquã hæc Iuonia dixit, multis tum hæc verba lacrymas excusserũt. Demum osculo Czarnieuiecium excipit, vt eum maiore obsequio sibi deuinciret, obsequentiorémque redderet. Ille poplite flexo, fidem operámque ei suã pollicetur. Iuonia commisso exercitu Czarnieuiecio, aliis nonnullo temporis spatio vacationem militiæ concedit, eósque domos reuisere iubet, vt refectis corporibus labore fatigatis, & obsoniis acceptis, quamprimum signum daretur, omnes equis armísque instructi, ad persequẽdum hostem cõuenirent. Czarnieuiecius, accepto exercitu, ita vt iussus erat, Danubium versus proficiscitur, stationes intentissimè agit, ne quis Turcarum Danubium traiiciat. Adfuit eorũ infinitus numerus, qui non ausi Danubium tranare erant. Quo viso, Bassæ certos internũtios ad Czarnauiecium mittunt, eísque triginta millia nummûm aureûm Vngaricorum dãt, vt quoquo modo animo Czarnieuiecij tẽtato, ad ipsos

Omnium lacrymæ prænuntiæ fraudis Czarnieuiecij.

Bassæ Czarnieuiecium ad defectionem sollicitant.

colloquendi gratia occultus veniat. Ille, magnitudine pecuniæ illectus, fidẽ dat ſe venturum, pecuniámque miſſam accipit. Hinc occultè, ſuis inſciis, in colloquium cum Petro Palatinia de Valachiæ Tranſalpinæ, qui trans Danubium cum magnis Turcarũ copiis erat, venit. Coram quo Petrus, in quo & quanto periculo Iuoniæ res conſtitutę ſint, commemorat. Oſtendit quàm in eum Selymus animo offenſo exacerbatóque ſit, quòd ipſius tributarius tantos exercitus deleuerit. eum Selymo aliter non poſſe ſatiſfacere, ſolùm pœna capitis: nec ampliùs dominatum Valachiæ obtinere poſſe: ſe pro certo certiùs gẽti illi imperaturum. Proinde, inquit, ſi ſapis, cùm adhuc integræ res ſunt, animum Selymi nouo ac recẽti aliquo beneficio tibi cõcilia. Omne bellum ſumi facilè, cæterùm ægerrimè deſinere. nõ in eiuſdem poteſtate initium eius ac finem eſſe: incipere cuiuis, etiam ignauo, licere: nõ deponi niſi cùm victores velint. Habere illum magnã opportunitatem & copiam ſocietatis atque amici-

Colloquium Petri cum Czarnieuiecio.

micitiæ ſecum coniungendæ, quæ bello potior ſit. Et quamuis Iuoniæ opibus cõfideret, tamen non debere incerta pro certis ponere. Nunc accepiſti triginta millia nũmûm aureûm: pòſt plura accipies. Proinde ſi tibi conſulere vis, ne florentes res tuas cum Iuoniæ perditis miſceas: verùm liberè Turcas omnes per Danubium tranſire permittas. Se enim cum ingenti exercitu ad occupandam Valachiam à Selymo, capiendúmque Iuoniam mitti. Vbi, conſecuto Palatinatu Valachiæ, tu quæque ſumma adepturus vnà cum tuis es. Opus igitur eſſe vt aduentum Turcarum coram Iuonia tãtiſper occultet, & à Danubio abſcedat, dum per ipſum vniuerſo exercitu traiecto pòſt Iuoniam facilè capere, ipſiuſq; vniuerſum exercitum opprimere, cladéſque acceptas ſuperiores vna hora vlciſci poſſint. His tot talibúſq; precibus & blanditiis, lacrymas addit, orátque Czarnieuiecium, vt quãprimum agmine ſuorum à Danubio remoto, tutò cũ Turcis flumen vorticoſum tranſire poſ- *Lacrymæ Petri.*

ſit. Czarnieuiecius, Petri promiſſis inescatus ac infatuatus, accipit conditionem, quámque iureiurando fidem confirmatam Iuoniæ dederat, eam frangit. Hinc ab ea parte Danubij vbi ſtationes diligenter ſuorum agebat, agmine ſeducto, liberum per flumen tranſitum Turcis permittit. Erant Turcarum tum ducenta millia, qui cum tormentis muralibus omníque apparatu oppugnandarũ arcium, Danubium tranauere. Trãſmiſſo Danubio, iubent vt Czarnieuiecius Iuoniam ea de re certiorem faciat. Hic celeriter ad Iuoniam veniẽs, narrat qua ratione Turcæ, multitudine ſuorũ ſubnixi, Danubium tranſierint, quibus ille nulla ratione obſiſtere potuerit. quare Iuonia bene rebus ſuis conſuleret, ſi quamprimum cum exercitu adeſſet, eorúmque conatibus primis obuiam iret, ſuáſque infirmas copias iuuaret. Nõ ſine lætitia hęc Iuonia audiuit. Quare plenus bonæ ſpei, Czarnieuiecium quis & quantus hoſtiũ numerus ſit, percunctatur. Sunt, inquit, decem. nec amplius

Dolus Czarnieuiecij.

plius duodecem millia. Sed antequam tu cum copiis aderis, in horas numerus eorũ augebitur, & ad quindecem millia excreſcet. Erat Iuonia vnà cum ſuis Koſacis ad arcem Teinicenſem, quam expugnare voluit. Demum conuocato Senatu, qui tũ cogi potuit, omnes, quid ſibi faciendum eſſet, conſulit, an arcem priùs expugnare deberet, vel hoſti tot cruentis preliis irritato occurrere, eiúſque copias in fugam conuertere. Ibi omnium vna ac eadem ſententia erat, vt priùs hoſtilem exercitum diſpalaret delerétque: quo deleto, pòſt arces expugnaret. Quorum conſilium ille ſecutus, habita peditum ratione, quarta demum die, ad caſtra hoſtium, quæ à ſuis duodecem milliaribus aberant, cum cãtu cornicinum tubicinúmque peruenit. Nona die Iunij, eiuſdem anni, caſtra ab hoſte ad tertium lapidem Iuonia ponit. ibi velites ſimul conueniunt, de ſumma rei conſultaturi. Se quidem paratis animis contra acerrimum hoſtem, tot preliis irritatum, proficiſci: verùm ſe neminem

Conſultatio Koſacorum.

habere qui linguæ hostium gnarus esset. Iuoniam nescio quo consilio fretum, totam rationē belli certis hominibus credidisse, imprimis verò Czarnieuiecio, cui nos omnino fidere nolimus. Quare in tam rebus nostris dubiis ac plenis periculi, vt ipsimet cum Iuonia colloquamur, necesse est. Igitur ad eum citato gressu veniunt, factáque potestate dicendi, sic Suierceuius pro omnibus verba fecisse dicitur. Illustris Palatine, nos hactenus fidem tuam secuti, tecum cōtra hunc crudelissimum hostem, socia arma iunximus. in quibus ferendis quæ & quanta opera nostra extitit, optimè nosti. Huc iterum à te contra eum eductì, ad internecionem cum eo dimicare parati sumus. nec illi iter in Valachiam patet, solùm per stragem cadauerū nostrûm. solùm nobis necessariò prouidēdum ac cogitandum est, ne temere in prelium ruentes, nullo consilio hostium cognito, quantus eorum numerus sit, quis castrorum tractus, in insidias pręcipitati, ab eis instar belluarū mactemur.
Quare

Quare quod tibi consilium belligerandi cum eis sit, effare proloquereq́ue. Iuonia oratione Suierceuij commotus, alta suspiria ex intimis præcordiis ducẽs, paucis ac breuibus respõdet. Et virtus mihi vestra, equites fortissimi, vita mea mihi cariores, nota perspectáque est, (cuius spectator fui) & totius belli omnia consilia nota. Non igitur obiectos vos temere cædi hostiũ velim, sed consiliis eorum priùs exploratis, nos cũ eis dimicare velim. In proximo Czatnieuiecius cum exercitu meo est: qui in hostem intentus, omnia cõsilia eorum cognita habet. Nec ego tantam rem cuiuis commisi, sed huic, cuius mihi fides semper in dubiis ac difficillimis rebus perspecta est: quem comitem tot peregrinationum mearum, propemodúmque exilij habui. Ipsemet modò ad me retulit, Turcarum non esse ampliùs quàm quindecim millia. Qui etiamsi triginta essent, eos nos diuino auxilio freti ad satietatem cædemus. Hæc vbi respondit, vt in eo loco sese cum vniuerso exercitu

Responsum Iuoniæ.

contineret, Iuoniam Suierceuius orat, ſe cum ſuis aduerſum hoſtem profecturum, vt aliquem ex caſtris ipſorum capere poſſit, certioráque de conſilio hoſtium explorare cognoſceréque. Iuonia prompto alacrique animo concedit: cui Veremiam cum ſex millibus Valachorum, magiſtrum equitum adiungit. Qui ſimul profecti, in ſpeculatores Turcicos, quorum agmen ſex millium fortiſſimorum equitum erat, incidũt. Subitò cum eis prelio inito, eos pellũt, in fugámque conuertunt. è quorum numero vnum capiunt: qui tot tantíſque vulneribus affectus, cùm ſeſe ſubitò moriturum præſentit, ſimulanter narrat paucos Turcas eſſe in armis. Sed velites, ficta eum narrare animaduertentes, nec contemnendum numerum eſſe hoſtiũ coniicientes, qui in tantam multitudinẽ ſpeculatorũ inciderint: ſubitò de hiſce Iuoniam certiorem faciunt, vt rebus ſuis conſulat, quídque fidendum Czarnieuiecio ſit, etiam atque etiam cogitet, videátque. Qui nil aliud reſpondiſſe dicitur,

Iuonia Suierceuium cõtra hoſtes mittit.

Iuoniæ reſponſum.

tur,

tur, ſolum illud. Jam non eſt vt perturbemur, aut horreſcamus. Ego ſcio cui fidã: breui numerum hoſtium ipſi cognoſcemus. Ego enim eo animo huc proceſſi, vt patriam meam contra hanc crudelitatem hoſtium, ad vltimum exitum vitę tuear defendámque. Atque ita communitis caſtris ſuorum ad lacum qui ex Danubio profluit, vt opportunam aquationem haberet, iubet equos recentes adducere, vt velites eis cum Valachis conſcenſis, qui ſuperiore nocte Turcas pallauerant, omnes ſimul cõtra hoſtem proficiſcantur. Erat prope hoſtium caſtra collis arduus ac ſublimis. quo conſcenſo cum ſociis, Iuonia hoſtium caſtra contemplari voluit. Sed ea nulla ratione conſpicari potuit, eo quòd in decliui loco poſita erant, nec à quoquam è longinquo loco cõſpici, niſi quis ad ea propè accederet, poterant. ſolùm in diuerſis locis quatuor inter ſe diſiunctis, ſpeculatores hoſtium animaduertit: qui, conſpectum Valachorum declinantes, ſeſe in quendam tumulum per diuerſos tra-

Profectio Iuoniæ contra hoſtem.

Iuonia hoſtiũ caſtra contemplatur.

mites, qui non procul à ſuorum caſtris erant, abdunt. Iuonia, propè hoſtem adeſſe ſuſpicatus, totum exercitū ſuum, (erat autem triginta millium) quoniam multitudine abundabat, in triginta turmas, per interualla diſponit. Ante ſingulas turmas tormenta muralia miræ magnitudinis collocat. Erant autem octoginta, quæ ex ſeſe globos igniferos euomebant. Pedites ſimili ratione ab equitibus ſemotos, quorum magnus numerus erat, diſponit: qui Iuoniam apud ſe retentum, ad equites haud patiūtur progredi, non mediocriter de vita ipſius, ne à primoribus deceptus, viuus in poteſtatem Turcarum veniret, pertimeſcētes: ſolùm ad Koſacos Polonos eum interdum commeare patiuntur. Nam pedites, gens ruſtica, ſingulari fide ac animo in Iuoniam fuere: quorum arma, falces, arcus, gladij reflexi, Turcicorum ſimiles, ac fuſtes erant. Inſtructa acie; firmiſſimiſque ſubſidiis firmata, Iuonia, antequam ſigna canerentur, iterum collem arduum, vt ex proximo loco caſtra hoſtium

Stratagema Iuoniæ.

Peditum ſingularis in Iuoniā fides.

hoſtium contemplaretur, conſcendit. quorum multitudine præter ſpem ac opinionem viſa, cognoſcit, ſe eſſe à Czarnieuiecio in fraudem inductum. quare eum ad ſe accire iubet. qui reſpondet, ſibi iam facultatem ad ipſum veniendi non dari: ſe ſtatim cum Turcis certamẽ pro incolumitate ipſius initurum. Habuit autem Czarnieuiecius fortiſſimorum equitum, quibus præfuit, tredecim millia, optimè armis inſtructa. Cùm igitur ſigna canerẽtur, Turcæq́ue acie ſuorum optimè diſpoſita, prelio ſeſe experirent, ibi proditor Czarnieuiecius, primus prelium init. Cúmque illi dimicandum congrediẽdúmque cum hoſte eſſet, vti cum Turcis conſtituerat, iubet ſuos vexillum demittere, & pileos haſtis enſibúſque impoſitos, eleuare, ac capita flectere. Ibi Turcæ, animaduerſa voluntaria deditione, in ſublime haſtis ſuis erectis, eos ad ſe tranſire iubẽt. Hac tali defectione Czarnieuiecij, exercitus Iuoniæ conſternatus, omnes retrocedẽtes, properè ad Iuoniam accurrunt: rem

Iuonia fraudẽ Czarnieuiecij cognoſcit.

Iuoniæ pugna cum Turcis.

esse perditam narrant. Quorum ille vocibus minimè consternatus, (vt erat in rebus dubiis subitisq; intrepido animo) eos id pro nihilo ducere, ac contra Turcas sese expedire iubet. Sed Turcę, postquam turmas Valachicas trepidare vidēt, agema suorum contra eos mouēt: ante se illos ipsos Valachos propellunt, ac tergiuersantes cædunt. Quibus Iuonia visis, ira percitus, in eos vim tormentorum exonerare iubet. Sic illi partim à suis, partim à Turcis in medio cæsi fuere. Turcæ verò proditorum terga secuti, eisque tecti, per stragem cadauerũ ad exercitũ Iuoniæ, sanguine eis iter, qui instar riui ex cæsis Valachis fluebat, intercludente, peruenere. Quos Kosaci, more solito, à lateribus aggressi dissipãt, non mediocritérque turbant. Adsunt alij Valachi, animo, armis, vigore, ac viribus corporis, Turcis longè superiores. qui sibi aditu patefacto, Turcas egregiè cædunt. Hinc clamor permistus hortatione, lætitia, gemitu oritur. item strepitus armorum ad cælum ferri, sagittæ vtrinque

Magnitudo animi Iuoniæ.

Exitus proditorum.

vtrinque volare cœperũt. Non ſuſtinuere vim Valachicam Turcę: ſubitò terga, ſeu timore perculſi, ſeu data opera, dant. ac quingentos paſſus, vt Valachos ad locum inſidiarum pertraherent, vbi vim tormentorum in abditis locis condiderant, retrocedũt. Senſit eum dolum Suirceuius hoſtium. Quare ſublato clamore, monet turmas tã Polonicas quàm Valachicas, vt pedem referant. His illi adhortationibus concitati, imminẽti ſe periculo manu armata ſubtrahunt. In hos Turcæ recentes impetum faciunt: sed Valachi eos egregiè ſuſtinent, nullâque memorabili clade accepta, ad caſtra ſuorum incolumes reuertuntur. Iuonia ex ſuorum ſucceſſu lætus, tam Valachorum quàm Polonorum, iuxta tormẽta aciem diſponit: vbi ſinguli impletis pharetris pluribus ſagittis, lanceis aliis acceptis, intenti in hoſtem erant. Turcæ recentibus viribus feroces facti, ſubitò in Valachos irruunt. Quibuſcum fortiter congreſſi, nullius imminentis periculi ratione habita, diſploſis tormẽ-

Pugna Valachorum cum Turcis.

Stratagema Iuoniæ.

tis in Valachos, eorum aciem non mediocriter turbant. Quorum conatibus Valachi obuiam euntes, fit atrox pugna, eadémque propemodum par. Cadebãt præcipites tam Turcæ quàm Valachi ex equis. iam vires viris, iam ferro ſua vis deerat. Tantus puluis è tormentis, è quibus crebri violentíque globi emittebãtur, excitatus fuit, vt ipſius dẽſitas ſolem obſcurauerit. nec vlla vox hominum in tanta multitudine exaudiri potuit, nec quiſquam à quoquam videri: nec magiſtri tormentorum, in quam partem eis globi emittendi eſſent, ſcire. Nec in tam aſpero negotio Iuonia territus, ſuíſque ſuccurrendum ratus, ſublata voce proclamat vt retro poſt tormenta cedant, vexilláque ſequantur. Turcæ quoque retro ceſſere. Oppidani Oblacienſes, tantam atrocitatem pugnæ ex oppido ſpectantes, cernentéſque copias Turcarum à Valachis prægrauari, fugam parant. Eſt id oppidum trans Danubium, ditionis Turcarum: ex quo effuſa multitudo, in remotiora Turciæ fugit. Poſtquam

Iuonia ſuos reuocat.

quam quaſi ex compoſito, ab vtraque parte ab armis diſceſſum fuit, repētè ingentibus procellis fuſus imber: quo vniuerſa agmina tam Valachorum quàm Turcarum perfuſa fuere: illéque totus puluis, ingenti boatu tormentorum, & pedibus dimicantium excitatus, in terrā delapſus, diſcuſſus fuit. ſed maximo detrimento Valachica tormenta affecit, quæ eis magno adiumento contra omnem vim Turcicam fuere. Nam ea cęleſti aqua perfuſa, globos emittere nequibant. Hodiernorum tam muraliū, tam eorum quibus tam equites quàm pedites vtūtur, apud veteres nullus vſus fuit. Non ita pridem hæc ſunt, circiter annum milleſimum trecenteſimum ſupra ſeptuageſimum ſextum, inuenta. Quę accepta primò Veneti à Germanis, hiſce in eo bello vſi ſunt quod contra Genuenſes ad Clodiam foſſam geſſere. Primi tormēti inuētor fuit quidam Germanus, cuius nomen à ſcriptoribus non proditur. cui caſu in mentem venit tale quid in perniciem hominum inuenire.

Vis imbris.

Tormentorū vſus cœpit anno Christi 1378.

Germanus inuentor primi tormenti.

Fertur enim ſeruaſſe domi in mortario puluerem ſulphureum, cuiuſdam medicinæ cauſa faciendæ, illúmque texiſſe lapide: ac inde contigiſſe vt, cùm ignem propè ex ſilice excuteret, ſcintilla nitro inciderit, ſubitóque flamma concepta, eadem eruperit, atque lapidem in altum tulerit. Quam ille rem penitus conſiderans, poſtea ferrea facta fiſtula, & puluere cõfecto, machinam reperit: in quam immiſſo priùs puluere, demum globo, igne admoto, ex eo ſonitum terribilem, eundémque violentum edidit. Huius vſus eſt apud omnes gentes. formæ ſunt variæ, ad expugnandáſque vrbes aptiſſimæ, vt in eis omnis vis peditum, omnis equeſtris ſplendor, omnis denique bellica virtus conſtet. Cùm violentia pulueris globus excutitur, quicquid obuium offendit, quaſſat, diſſipat, frangit, contundit: adeò vt nullus locus ſit, quamuis natura munitus, qui nõ facilè expugnetur. Is igitur machinæ huiuſmodi repertor, pro mercede (vt opinor) accepit vt nomen eius ſilentio perpetuo premeretur,

Bombardarũ vtilitas.

tur, ne omni tempore à cunctis mortalibus diris deuoueretur: dignus scilicet qui prior ipse vice Salmonei, fulmine flagrasset: (Salmoneus enim, Æoli filius, cùm Iouem vellet in fulminibus iaciendis æmulari, ab eo de cœlo tactus, detruditur) quando hæc fulmini, odore, luce, sonitu, impetu simillima est. Sed nos ad institutam historiam reuertamur. Irritatis tam Valachicis quàm Turcicis animis certamine, etiam acriùs concursum est. Nam Turcæ, eductis suorum viginti millibus in aciem, in læuam partem, vbi tormenta Valachica disposita erãt, prosiliũt. Ibi Valachi in eos tormẽta displodere nequeunt. Nam iam à cœlesti aquà corrupta fuerãt. Nihilominus mutuò sese cohortãtes, in Turcas magnum impetum faciunt, cum eísque ad vltimam defatigationem dimicãt. Subitò adsunt Scythæ, cum recentibus copiis Turcarum: qui, cùm sese nullo à tormentis detrimento affici vident, ex inferiore loco per diuersos tramites in quibus latitabant, egrediuntur. Ibi dissono clamore

Nota de Salmoneo.

Redit ad historiam.

Pugna Valachorum cum Turcis.

perterrefaciunt Valachos, & à tormentis remouent, in fugámque conuertunt: qui per Valachicos patentes campos diſpalati, inſtar pecudum à Turcis cęduntur. Nec iam plures ad hoc vſque tẽpus, quàm ducenti quinquaginta velites, ſeu Koſaci, ſupererant. Sic mutata fortuna belli, vnius perfidia Czarnieuiecij: quæ non multo pòſt ſupremam cladem Iuoniæ attulit. Nam Iuonia accurrens, ad reliquum peditatum, & illos ducentos quinquaginta velites (quos Turcæ fatigati cæde Valachorum, aggredi non auſi erant) cõuerſa oratione ſic dixiſſe fertur. Video, fortiſſimi viri, nos vnius Czarnieuiecij perfidia in extremum periculum adductos eſſe. ſed vbicunque corpora veſtra ferro hoſtili interfecta iacuerint, ibi & meum inter veſtra erit: anima cœlum petat. Ad quem ita Suierceuius: Hæc præſens mors, Iuonia, vti fortes viros decet, nos minimè mouet, modò ſumma vi innixi, hoſce canes, hoſtes nomini Chriſtiano infenſiſſimos, ad ſatietatem, antequam nobis intereũdum erit,

Victoria Turcarum.

Verba Iuoniæ ad Polonos.

erit, cædamus. Hæc effatus, subitò velites ex equis descendunt, seséque cum peditibus cõiungunt. quibuscum simul conglobati, sexaginta tormenta muralia Turcis subtraxere. solus Iuonia vno arrepto, quod vix duodecem equi trahere poterant (tantæ vires illi fuere) illud trahit. Quo Poloni viso, illud ipsi ademere, leuiori dato. Hinc compositis pedestribus copiis, quorum adhuc erant viginti millia, Iuonia retrocedit. Quoniam verò tormenta eis maximo impedimento erant, ea abiiciunt: sed ita vt Turcis pòst nulli vsui fuerint. Nam maxima vi pulueris in ea imposita, cũ ea Turcæ disploderẽt, omnia disrupta fuere. Interea Iuonia, qui iã & animo & corpore deficiebat, cum omnibus pedestribus copiis, & nonnullis tormentis, vestigia cæsi exercitus sequitur: nec plus vna die, ob ingentem stragem cumulúmque cadauerum, quæ passim cæsa in viis insepulta iacebant, mille passus progredi poterant. Qui cum vniuerso peditatu in locũ vbi antè villa incensa fuerat, quædámque

Kosaci sese cũ peditibus coniungunt.

Iuonia retrocedit.

Iuonia castra munit.

recentia rudera extabãt, cùm venisset, castra sua ibi communit, eáque fossa, ne subitò à Turcis occupari possint, cingit. Ea in parte (sed fatis obsistere difficile erat) consilium Iuonię dignum reprehensione fuit, quòd ibi suos vallo cinxisset, vbi nulla commoda aquatio fuit. Nã siti homines enecti moriebantur, seséque Turcis nõ multo pòst dedidere. Sole iã-iam occidente, eadẽ die decima mensis Iunij, Turcæ à fuga Valachorum, quos persequebantur, reuersi, subitò castra Iuoniæ circumdant, atque coarctant. quorum tanta multitudo fuisse dicitur, vt oculis terminari nequierit. Quibus circumdatis, neminem ex exercitu Iuonię egredi patiuntur: vtq; spem omnem ei commeatus præciderent, villas castris Iuoniæ proximas, in quibus ampla prædia erant, tota nocte incẽdio graui consumunt: idque ideo, nequis obsessorum effugeret: néve extra vallũ obscura nocte egressi, ipsos inuaderent. Appropinquante luce, (quæ fuit vndecima Iunij) Turcæ in castra Iuoniæ multitudinem

11 Iunij dies extrema Iuoniæ fuit.

Turcæ castra Iuoniæ infestant.

nem globorum è machinis muralibus emittunt: ſed illa nullo detrimento affecta fuere, eo quòd alto aggere obuallata erãt, vnde ſeſe Valachi, pariter cum Polonis, contra Turcas egregiè defendebant, in eíſque ingentem ſtragem toto triduo faciebant. Turcæ, difficilem expugnationem caſtrorum Iuoniæ animo cernentes, per internũtios cum eo colloquia ſerunt, vt ille omni cunctatione omiſſa ſeſe dedat. ſpem ei maiorem debere eſſe in miſericordia Turcarum, quàm in ſuis vllis viribus: præſertim cùm omni ope auxilióque deſtitutus, pòſt ſe dedere cogatur. Quare ſpõtanea hac deditione præoccuparet animos ipſorum, nec in tam anceps periculum & ſuas copias & Turcicas iniiceret. Ad ea ſic reſpondet Iuonia. Video ac animo cerno, in quàm aduerſam neceſſitatem adductus ſim: ſed, cùm penes me firmiſſimas copias pedeſtres habeam, poſſim certè non ſine veſtra clade cadere. Quare, cùm fortunæ hoc tempore cedendũ ac neceſſitati arbitrer, non renuo dedi-

Colloquium Turcarum cum Iuonia.

Iuoniæ reſponſum.

tionem: ſolùm ductores veſtri me à vobis conſeruatum iri, ac quaſcunque vobis conditiones propoſuero, vos eas integras cõſeruaturos iurẽt: nec id ſemel, ſed quiuis ſepties. Hiſce dictis, internuntios extra munimẽta caſtrorũ excedere iubet: quibus ſe quãprimum reſpõſum daturũ pollicetur. Hiſce ita compoſitis, omnes ad ſe Polonos, paritérque Valachos cõuocat: ad quos ſic verba feciſſe memoratur. Hodierna dies hæc triſtis ac miſera à nobis, fortiſſimi viri, aut deditionem extorquet, aut hîc inter hæc ſepta enectos mori iubet. Quare vtrum conſultius rebus noſtris ſit, an ſeſe huic truci hoſti dedere, vel portis caſtrorum patefactis in indubitatam mortem ruere, ac nõ ſine cæde hoſtium glorioſè cadere: in medium conſulite. Mors certè ſola finem omnium malorum afferet, quæ corpus à cruciatu, oculos ab indignis rebus auertet, nóſque diuino conſpectu frui efficiet. Plura loqui volentem ac cupientem vis lacrymarum orta præpediuit. Ad quæ ſic Poloni. Mors nobis

Oratio Iuoniæ ad ſuos.

Polonorum reſponſum.

nobis, Iuonia, nũquam acerba ac atrox & est, & erit. Quare, si ita animo destinasti, hũc crudelem hostem inuadamus, potiúsque gloriosè cadamus quàm ab eo capti, per ludibrium, per dedecus, per varios cruciatus, non sine contumelia vitam finiamus: præsertim cùm nulli Christianorum fidem datam conseruet. At contrà Valachi, quorum tantus animus in mortem non fuit. Deditionem quidem nõ se abnuere, si pro certo Iuonia sciret, Turcísque fidere, quòd ipsum incolumem conseruaturi essent, posset. Si de fide eorum dubitaret, se cum Polonis ad vltimam internecionem, fidei semel ipsi datæ memores, cõtra Turcas malle dimicare, quàm per fraudem illorum omnibus esset pereũdum. Iuonia hucilluc animo fluctuans, quid sibi faciẽdum esset, animi dubius, in diuersum curis trahebatur. Mouebatur indigna calamitate suorum, eò quòd multi siti enecti, in dies magis atque magis moriebantur, ac breui pòst omnibus pereundum erat: serò culpans consilium suum,

Valachorum responsum.

quòd in tam iniquo loco castra posuisset. Quare summo cũ gemitu, & lacrymis sanguinolentis ita exclamat: Malo me hosti dedere, quódque aduersa sors attulerit, pati, quàm vt mea causa tot millia hominum siti pereant. Percunctabor nihilominus legatos ad me missos, an in hasce cõditiones quas eis proposuero, iurare velint. Si iurauerint, tum me eis dedam. Quare legatos Turcarum, qui extra munimenta castrorum, responsum expectabant, acciri iubet, eósque ita affatur. Ite, vestrísque imperatoribus hæc nunciate. Quamuis firmissimas copias, quas ipsi cernitis, habeam: quorum fideli subsidio subnixus, hasce vestras vires sustinere possim: tamen necessitati hoc tempore cedẽdum arbitror. Quare si omnes imperatores & præfecti vestri, singuli septies, in has conditiones mihi iurabũt: tum primùm me dedam. Primò, vt vniuersum equitatum Polonicum, singulari fide ac virtute præditũ, vnà cum suis equis ac impedimentis, à quauis gẽte magnifaciendum,

Iuoniæ verba luctuosa.

Iuonia legatis respondet.

Prima conditio.

dum, qui ad postulata mea venere, sine vllo impedimento saluum reuerti patiantur, liberúmque eis transitum per Nestrum flumen dent. Secundò, vt me ad Selymum, Turcarum imperatorem, dominum meum, viuum ac incolumẽ deducant. De Valachis nihil dico: quos æquum est, cùm Cæsaris dedititij sint, conseruare: quos si vos violaueritis vel trucidaueritis, ingens detrimẽtum Cæsari, vel ei quem ille pòst Valachiæ præficiet, estis allaturi. Hæc legati vbi purpuratis & arcium præfectis exposuissẽt, omnes pedibus in conditiones eas eunt: septiésque singuli omnia postulata iuramento militari, etiam suorum militum nomine, confirmant. Tãdem ipsemet ad purpuratos Turcarum, omni metu deposito, impendentísque periculi nescius, è castris egreditur, corámque sic ꝑ equitatu Polonico verba facit. Cùm ita Deo optimo maximo visum sit, vt potestatis vestræ factus sim: vos ego per fidem vestram, quam mihi sacramento militari sanxistis, oro ac obtestor, vt e-

Secunda.

Tertia.

Oratio Iuoniæ ad purpuratos.

quitatum Polonicum, liberè in equis ad ſuos cum omnibus impedimẽtis reuerti patiamini. Digni etenim ſunt ij viri vt eos omnes mortales colant, ſuſpiciant, magnifaciant. Siquod veſtrum odium eſt in eos, illud in me conuertite: quod ego pro eis ferre ſuſtineréque paratus ſum. Demum ſuis pauliſper à caſtris remotis, ad Polonos, quos educebat, illa verba nouiſſima dixiſſe fertur. Nũc grauis ac acerba fortuna, viri fortiſſimi, me à vobis diſiungit. quare hãc dextram vobis ſingulis porrigo, teſtórque, quoad vſque ſpiritus meus hoc in mortali corpore ſupererit, nomen veſtrum grata animi memoria me proſequuturum. Nõ ſine lacrymis hæc Poloni audiuere: cuius dextram cum flebili vlulatu amplexi exoſculabantur. Qui cùm iã ad tertium teli ictum à caſtris abfuiſſent, Valachos quoque pari ratione è caſtris educit: quibus non ſine lacrymis valedicit. Recordatus auri ac vnionum, quos penes ſe habebat, iterum ad Polonos reuerſus, gladio accinctus vtrinque acuto, omnia

Nouißima oratio ad Polonos.

Valachi à Iuonia educuntur.

omnia eis largitur, tandémque flens sic inquit: O si mihi iam ad manus vestræ copiæ quàm priores illæ duplo maiores essent, vel saltem eæ integræ: efficerem profectò, Deo adiuuante, ne quis istorũ canum ad occasum solis in hac regione, quam mihi Deus propter magnitudinẽ scelerum meorum adimit, superstes foret. Sed frustra vos, viri fortissimi, volubilitate verborum inani detineo. id ferre cogor, quicquid mihi Deus imponet. Vos ita à me discedere velim, & opto, vt vos Deus opt. max. incolumes ad patrios lares deducat. Me quoque si Deus è manibus cruentis horum teterrimorũ hostium conseruabit, méque Turcici Bassæ, vti polliciti sunt, viuum & incolumem Selymo sistent, iureiurando mihi pro re certa polliceor, me pòst beneficio Selymi, cuius sensus omnes calleo, Valachiam iterum habiturum. Vos interim oro, vt dulcissima recordatione semper memoriam mei colatis. Quicquid opum & diuitiarum mihi pòst erit, id in vos conferam, vestræq; stirpis Po-

Iuoniæ verba ad Polonos.

lonicæ homines ad ſummos gradus honoris, quoniam fides, fortitudo, cõſtantia veſtra, in rebus dubiis eſt mihi perſpecta ac cognita, eueham. Hæc effatus, quicquid reſidui vnionum aureorũ habuit, id Polonis largitur, inquiẽs: Nolo vt id in manus horum immaniſſimorum hoſtium perueniat. Proinde conſiderans fortitudinem veſtram, & fidelem operam, quam mihi adhuc nauaſtis, & eum affectum ſanè mirum, quo me proſequuti eſtis: omnia vobis dono: animi grati beneuolẽtiam erga vos, ac omnem gentem veſtram, penes me relinquo: quam ſemper ad extremum ſpiritũ retinebo. cuius rei teſtem Deum, huius vniuerſitatis creatorem, inuoco: cui vos cõmendo. Huiuſmodi precatio ac obteſtatio Iuoniæ, omnibus Polonis lacrymas excuſſit: cui gratias egere. Qui armis à ſe abiectis, more ſupplicum, ad caſtra Turcarum, ſumpto ſecum Polono Oſmolio, peruenit: quibuſcum integras quatuor horas colloquium habet. Ibi Baſſa Capucius, fortaſſis oratione eius offen-

offensus, immemor fidei sacramẽto militari confirmatæ, quam Iuoniæ dederat, stricto gladio, ventrem faciémque eius discidit. Ita vulneratum Ianczari corripiunt, & semiuiuo caput amputãt: deinde trũcum, pedibus duorum camelorum alligatum, discerpendum obiiciunt: quod belluæ in diuersum concitatæ discerpunt. Caput hastæ infixum: cadauer discerptum, in frustáque minutissima concisum: cuius ossibus inter se partitis, cruore cadaueris recentis gladios perungebant, sanguinémque equis suis bibendum porrigebant, deo supplicantes quò in ipsis quoque idem virilis animus, & eadem belligerandi ratio esset. Eum exitum Iuonia, vir memorabilis, habuit: qui perfidia Turcarum tam crudeliter ac nefariè, omnium cum tristi desiderio, è medio sublatus fuit. Quod ei, reor, non accidisset, si in religione Christiana constantior fuisset, & imperata fecisset. Dolendus ipsius casus, in exemplum est documentúmque inconstantiæ rerum humanarum. Nam sicut

Miserabilis exitus Iuoniæ.

Exemplum Iuonia inconstantiæ rerum humanarum.

antè ſecunda fortuna rebus ſupra vota fluentibus, tot támque inclytas victorias ex Turcis attraxerat: ita nunc aduerſa, quæ ei indulgebat, velut in oſtentationem fragilitatis humanę, deſtruens quæ cumulauerat, exitum miſerabilem, horrendam ruinam, fœdámque mortē Iuoniæ adiecit. Turcæ miſerabiliter Iuonia occiſo, ſubitò in Valachos, quos Iuonia è caſtris eduxerat, impetum faciunt, eóſque inſtar pecudū crudeliter interficiunt. Poloni velites, viſa perfidia Turcarum, nec ſibi tutum reditum in Poloniam eſſe cernentes, in caſtra iterum, ex quibus exceſſerant, regredi volebant. Sed ea à Turcis occupata iam erant. Demum, ſeſe mutuò cohortati, in agmina denſa Turcarum, pleni animi ſpeíque, ſumma vi incurrunt. quibus diſruptis diſiectíſque, omnes fortiter occubuere. pauci grauiter vulnerati: qui pòſt Turcis admirationi fuere, quòd pauciſſimi in numeroſos proruiſſent, pugnarentq́; viriliter: quódque, lethaliter ſaucij, per media caſtra ambulaſsēt, nec ob id mortui

Extremus conatus velitū.

tui

tui essent. Illi autem præcipui capti è Polonis fuerunt: Suierceuius, cuius præcipua virtus, industriáque singularis in eo bello extitit: Coslouius, Sadorscius, Iancius, Zalescius, Copitscius, Rescouius, Socolouius, Libisouius, Cisouius, Sucinius, Bogsicius: qui omnes pòst ab heris suis grandi ære redēpti fuere. Sollicitabant autē eos Turcę, vt religione Mahometi amplexa, in verba eorum iurarent: pollicentes, fore vt amplissimis bonis à Selymo acceptis apud eos vitā trāquillam beatámque ducerent. Sed illi omnibus Turcarum pollicitationibus spretis, maluerunt apud suos vitam inopem agere, quàm in opulētia ac omniū rerum affluentia, cum animæ iactura, apud Turcas. magnę admirationis virtus eorum fuit: qui Turcæ, quamuis in suorum laudem propensi sunt, tamen vulgo sermonibus iactitarūt, in toto regno Poloniæ, viribus, industria, belligerandi promptitudine, eis minimè pares esse. Illi, hisce auditis, Immò nos omnium, inquiunt, sumus infimi: qui ob inopiam

Capti Polonorum præcipui.

Constantia Polonorum.

Turcæ captiuos Polonos laudant.

Captiui virtutem suam eleuant.

apud nostros nullo loco habito, in hasce oras venimus, vel vt honestè patriã defendentes, mortem oppeteremus, vel præda nacta, ea onusti, ad nostros reuerteremur. Quibus vt crederent, haud id in animum suum inducere poterant.

Selymus totã Moldauiam occupat.

Post tam ignobilem cædem Iuoniæ, Selymus totam Moldauiam occupat: omnes ferè stirpis Valachicæ, tam summos quàm infimos, crudeliter è medio tollit. Totáque Valachia occupata, arcibúsque ipsius firmo præsidio munitis, alia multitudine alibi in colonias deducta, in Russiam intẽtus est. Quæ sibi vnà cum vniuersa Polonia, à tã potenti, perfido & immanissimo hoste caueat. Nam optimè, sollerti animo Turcæ cernunt, occupata à se Valachia, ac deinde Pocucensi oræ, (quæ est regio inter Hirassum & Tyram, vltra Cameneciũ versus Haliciam, Podoliæ emporium, in vlteriore Polonicæ ditionis ripa, cõtra Zuthannam Tyræ impositum) pro qua Poloni cum Valachis ad internecionẽ pugnabãt, bello illato, omnia in Podolia ipsorum

Pocucensis oræ situs.

rum aperta fore libidini, quæ se in Poloniam quoque extendere possit. Nam id est Turcicis imperatoribus in more positum, vt, si finitimi alicui gēti sint, aucupata occasione, ac iniectis factionib⁹ inter principes illius gentis, eam pòst facilè bello aggressam vincāt, eiq; perpetuū iugum imponāt: vt memoria patrū Grę-cis fecere, nostra Vngaris, nō ita pridem Valachis. Polonia est eis vndique præsidio tot gentium nudata: quæ hactenus vires eorū, Scythicásque, in tāto dissidio Christianorū, qui sese cū applausu Mahometi, ciuili ferro cōfodiunt, sustinuit. De qua occupāda, nō mediocris eos cura stimulat, vt per illā vniuersæ Germaniæ bellum inferre possint: cùm ipsis ad Germaniam vastandam difficilis aditus per Austriam, ob munitiones Viennenses, pateat. Non diu post captam Valachiam Selymus superstes fuit: qui ferè quarto anno pòst quàm à patre Solymano regnare cœpisset, fatalem horam anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quarto; quindecima die

Mors Selymi anno Christi 1574.

Decēbris, obiuit. in cuius locum filius, ſtirpis maximus, Sultanus Muratha, tāto ſilentio à Baſſis ad occupandum imperium accitus ſucceſſit, vt priùs ad Conſtantinopolim veniret antequam adeſſe ab omnibus ſuſpicaretur. Qui imperiū ſuum à cæde quinque fratrum, duarūq; matrum, (quarum vna grauida erat) & multorum procerum, ſecutus morē veterum Turcarum Cæſarum, inchoatus, omnibus terrori ac formidini ſtudet eſſe. Hic, vt Ianczaros fremētes placaret, quòd ipſis inſciis à Baſſis accitus imperium inuaſiſſet, hæc eis poſtulata cōceſſit. Largitus eſt ſingulis à ſummo ad minimum ſeptuaginta quinq; taleros. ſtipēdium illorum auxit: filios ipſorum, vbi adoleſcerent, Ianczaris aſcribendos ſtatuit. Numerū Ianczarorū duobus millibus maiorē fecit: ita vt iam ſint ſedecim millia. Poſtremò, in prelio mutilatos, immunes à bello fecit, & omnem victū ad vitam tranſigendā eis dari iuſſit. His ita compoſitis, memor cladis quam Iuonia cū Polonis Koſacis, ditionibus Turcicis

Poſt Selymū regnat Sultanus Muratha.

cicis

cicis intulerat, vt aliquando Polonos vlcisceretur, immissis mẽse Octobri, anni 1575, cẽtũ & vndecim millibus Scytharum Pręcopiẽsiũ, regiones Russicas quaqua versus, ad quadraginta milliaria peruastauit. Ducentas domos equestris ordinis, ac pagos permultos, flãma iniecta ij immites hostes exusserunt: senes è plebe puerulosq; plorãtes cõtrucidarũt. Nobiles tamen haud plures triginta vel in preliis occiderũt, vel pariter cũ vxoribus liberisq; in Valachiã, miseris modis colligatos abduxerũt. multi greges boũ ouiumq;, multa equorũ armenta, ab illis abacta sunt. lassis crura succidebãt: viuis coria ad vinciendos homines detrahebãt. In traiectu Nestri fluminis, magnus captiuorũ plãctus auditus est, quòd se iã planè in acerbissimi hostis potestatẽ venisse viderẽt. Quos nostri liberaturi fuissẽt, ni cõfisi vanis promissis Petri Palatini Valachiæ, qui se Scythis reditũ in patriã, ꝑ Valachiã permissurũ negabat, nostrisq; id sãctè ꝓmittebat, ad Kiouiã, quâ hostis venerat, eâdẽ sperantes redituru,

Scythæ Russiã vastant.

cõuersi, paulo tardiùs ad Nestrũ cõcurrisset. Multi quidẽ tũ Scythæ occisi: plures tamen Russi abacti ab illis sunt: qui passim grassante tã numeroso hoste, cõuenire ad Mieliecium Palatinũ Podoliæ, haud potuerũt. Interemptus quidã Scytha à Iacobo Niezabitouio, cũ septingẽtis, quos ducebat: cuius frõs vigintiquatuor digitos lata fuit: manus & pedes, adeoq; totum corpus stupẽdæ magnitudinis: humi iacẽs cadauer, vmbilicum viri stãtis attingebat. Dũ verò isti prædã in Valachia cũ Palatino partiũtur, Kosaci, Borysthenis accolæ, milites generosissimi, ductore Bogdano Rosinskio, in Scythiã irruunt, flãma & cædibus omnia cõplent, fœminarũ vbera abscindunt, alias excæcãt, liberos illarũ collidũt, veteres captiuos liberãt. Sed iã placet historiæ finẽ imponere. Ex qua id inter alia discimus, Turcas vinci à Christianis posse, si sint fideles & impauidi milites, firma auxilia: ac (quod primum est) si sit fortis & gnarus militiæ imperator.

IOHANNIS LASICII

Historia de ingressu

Polonorũ in Valachiam cum Bogdano Voiuoda, (cui successit Iuonia) & cæde Turcarũ: ducibus Nicolao Mielecio & Nicolao Sieniawscio: A. M D LXXII.

ILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS VIRIS, DN. Nicolao Mieleczki, Voiuodæ Podoliæ, Grodensi: & Nicol. Sieniawski, Striensi præfecto, atque copiarum regni in Russia primario ductori:

IOHANNES LASICIVS S.



ISI nos certa merces laborum, Christianorum causa susceptorum, in cælis maneret: nihil vobis, illustres viri, cæterisque isthic pacis publicæ conseruatoribus, foret infelicius. Tanta sunt vestra in rempubl. Christianam merita, me latet an iam remunerata. Hæc verò est illa maxima caritas, de qua sic inquit noster

noster seruator: Maiorem hac caritatem nemo habet, quàm si animam suam ponat pro amicis suis. hoc illud quod Sirachus faciendum suadet, ne fratris & amici causa pecuniæ parcamus. hoc quod Paulus scribit, Caritas non quærit quæ sua sunt: & omnia sustinet. Quæ, quanta sint, quis non videt? Testis rei huius est, inter alia, hæc quam ad vos mitto, Valachica historia. nā quid vos aliud in Valachia, tanto cum discrimine vitæ, nec absque impensis, & domesticis rebus postpositis, anno 1572 egistis, quàm vt Bogdano, gentis nostræ amantißimo, in illam reducto, tutum ab illa parte à Turcis regnum Polonicum, firmißimum Germaniæ murum, redderetis? quo beneficio quod aliud maius à vobis in rempubl. proficisci potuit? Itaque, ne dubitate, veniet ali-

quando illud tempus, cùm, vt omnium Christo fidentium virtutes, ita vestra quoque hæc de populo Dei merita, magnis præmiis afficientur. Nec ego valde miror, optatis conatibúsque vestris fortunam non respondisse: cùm nemo sit hominum, cui semper secunda sint omnia. In magnis, ait poëta, & voluisse sat est. Satis vos patriæ, satis amico dedistis afflicto. Si Deo, mundi, quem creauit, admirando rectori, secus visum: quid dolemus? voluntati illius quis resistet? is vt dat, ita aufert reges, regna mutat, excitat & immittit hostes. non tamen absque causa: sed propter impunita scelera, idololatriam, superstitionem, pauperum oppressionem, iniurias, fraudes, furta, cædes, luxus, libidines, ebrietates. Ductus est in captiuitatem populus meus, ait va-

tes Esaias, propterea quòd non fuerit præditus scientia: tympanum, tibia & vinum in conuiuiis illorum: opus autem Dei non respiciunt. Neque verò vos tunc solùm præclaram patriæ operam nauastis: magna semper ab illo tempore, ex quo vos in Rußia diuina constituit prouidentia, vtriusque vestrum, maiorúmque vestrorum, in repellenda vi barbarorum, vigilantia, industria, fortitudo enituit: si modò alij conatus adiuuissent vestros, vel si plura perficere per iram diuinam licuisset. Vtinam autem nostri, tam crebris Scytharum incursionibus exciti, qui mihi nihil nisi prodromi Turcarum esse videntur, de locis, quà illis accessus ad nos patet, muniendis tandem aliquando cogitarent. Vidisti tu, sapientißime Mieleci, in tua illa cum

Comite Tarnouio & Stanislao Latalscio peregrinatione, vidisti inquam iuuenis, vt Itali Turcis, Hispani Mauris, Galli Anglis, Dani Suecis, Zelandi & Hollandi quibusuis, cùm bellum est, nauibus ad se aditum prohibeant: vt iis in locis, quibus commodus est ad eos accessus, arces præsidiaq; habeant: collapsa instaurent, dies & noctes excubent. Cuius rei documenta si nunc hac tua & ætate & auctoritate ad tuum Nestrum atque Neprum, quà ferus Scytha incurrit, ederes: certè hoc inter tot tuos, quos in arcendis hostibus suscipis labores, præcipuum, idemq; immortale opus esset futurum. Ni verò id, hoste iam nobis propinquo, & incuria nostra nimiùm audaci facto, maturè feceritis, quis mirabitur sequutam possessionis direptionẽ: quæ,

pro

proh dolor, iam magna est, vbi nulla sepes fuit? Cui ducendæ non dubito quin post tot calamitates, & Turcarum in Valachiam ingressum, manus sitis celeriter admoturi. Opto vobis Gedeonis fortitudinem, Samsonis vires, Dauidis felicitatem. Barcini, Kalendis Octobr. a. 1577.



IOHANNIS LASICII

Hiſtoria de ingreſſu Polonorum in Valachiam, cum Bogdano Voiuoda, (cui ſucceßit Iuonia) & cæde Turcarum : ducibus Mieleczkio & Sieniawskio: A. MD LXXII.



ARIA eſſe gentis cuiuſuis, vt virtutes, ita vitia, nemo eſt qui ignoret. Valachorũ ſanè ea eſt leuitas animi, & perfidia, vt maior eſſe nequeat. Ij paucis antè annis, ne ſuperiora commemorem, Alexandro principe ſuo eiecto, quẽdam Iacobum Deſpotem, qui Roſtochij mathemata docebat, noſtris quibuſdam

busdam suo cum dispendio eum adiuuantibus, receperunt. quo occiso, rursus Alexandrum, postea Bogdanum admiserunt. hoc fastidito, Iuoniæ se subiecerunt. isto Turcis prodito, ad Petrum defecerunt. quem quis diutius his regnaturum credat? Ita illud à Salomone verè dictum, vt omnia, propter improbitatem terræ, multos principes eius esse. Quamobrem haud mirum est, proposuisse id in concilio Lucensi, anno Christi 1429, Sigismundũ Hungarorum Romanorúmque regem, (vt testis est lib. 4 Chronicorum Polonicorũ noster Miechouiensis) vt gens Valachica, vnà cum suis Voiuodis exterminaretur: quòd nemini fida foret, furto ac præda viueret. sed Wladislaum, regem Poloniæ, Vitoudo, Duce Lituaniæ, fratre suo, præsente, respondisse: non esse æquũ vt Valachi, regni Poloniæ subiecti, exterminarentur. quorũ si aliqui furto viuerent: id tamen non posse de omnibus dici. Licet autem hoc tum discordia regum nõ fuerit factũ: at nostra ætate, magnis eos

cladibus affligi: tandem etiam diuino permissu, Turcarum iugo subiici vidimus. Sic enim propheta Amosus, Dei nomine: Ecce, inquit, oculi Domini Iehouæ in regnum quod peccauit: disperdámque illud è terra. Sic & apud Ieremiam Deus ait, Ego feci terram, & dedi eam illi cui mihi visum est. dedi omnes has terras Nebuchadnesaro Babylonio, seruo meo. Quis igitur miretur tot gentes, quarũ fides lubrica, iam in prouerbium abierat, in Turcicã deuenisse potestatem? nam quid Deo magis exosum, bilingui, perfido, fraudulento? Sed nos iam historiam aggrediamur, Paprociũ sequuti.

Valachi, qui olim Getæ & Daci, pòst ab colonia Italorum, quos Wlochos vocamus, Valachi cognominati, gẽs misti seminis, ideóque ingenij varij & inquieti: concepto odio contra Bogdanũ, suũ Voiuodam, (vox ea lingua nostra exercitus ducem significat, quòd Polonorum magna consuetudine sua in aula vteretur, his plurimum fidei haberet, horum

horum beneuolentiam liberalitate demereretur, vni illorum ſororem ſuam nuptum dediſſet, ipſe quoque vxorem genere Polonã ducturus eſſet: clàm ineunt conſilium de alio in locum illius ſublegendo. Erat tum apud Imperatorem Turcarum Iuonia, (ſic illi Iohãnem appellant) filius Stephani, Voiuodę illorum, è concubina prognatus: qui anno ſalutiferi partus 1561, rege Sigiſmundo Auguſto comitia Lublini agente, Iohannis Fierlei, Voiuodæ Lublinenſis, Marſalcíque regni Polonię, ſenatoris grauiſſimi, miniſter fuit. Is Valachis viſus eſt ad ſuſcipiendum imperiũ ſatis idoneus. Ad hunc ergo de nouo principatu ſcribunt. quæ & quanta à Bogdano & Polonis perferant mala, ſignificant. ſi citò cum aliqua Turcarum manu veniret, prodituros ſe ei obuiam pollicẽtur: Polonóſque vnà cum Bogdano, & Petro fratre ipſius, vinctos viuos in poteſtatem eius tradituros. Iuonia iamdudum cupidine dominandi flagrans, accepto tali nũtio, protinus colligit Cæ-

ſaris ſui permiſſu, circiter viginti millia Turcarum, Græcorum, & Serborum. Porrò Bogdanus, factus de his conſiliis à quodam Valacho certior, ſimúlque monitus vt profectus in Poloniam ad amicos, maturè pararet auxilia, quibus ſe ab iniuria tueretur, vitaret inſidias: illo ipſo quo hæc accepit die, (qui fuit Dominicus præcedens bacchanalia anni 1572) Valachia excedit. vbi primùm Polonis, ſuis familiaribus, perfidiam inſidiáſque ſubiectorum ſuorum aperit. Egreſſo è Valachia Bogdano, ingreſſus in eam eſt Iohannes, ipſius æmulus, magnis Turcarum copiis ſtipatus. cui obuiam primates profecti, Gabriel Logofet, Dinga dux exercitus, Craczonus eremita, Viſternicus raſus, Lupul⁹ Stroitz, cæteriq; proditores: ſalutatúmque reuerenter, Iaſum, vbi ſedes Voiuodorum eſt, deducunt. Tum verò cognouere periuri Valachi, quàm leuia fuerint priora incommoda illis quæ à Turcis patiebantur. nam noſtri milites nihil aliud quàm pabulum in vſum equorũ, ex agris hor-

reíſque

reiſque incolarum auferebant: at Turcæ, præter id, vxores quoque illorum, virgines, pueros conſtuprabant: parentes, propinquos flagitia prohibētes pulſabant: omniáque alia arbitratu ſuo agebant: adeo licēter, vt illos tum pluribus incōmodis vnus Turca affecerit, quàm antea triginta Poloni: nec diſſimilis eorum conditio Iuonia imperante, illi Iſraëlitarum, Abimelecho rerum potiente, fuerit. quæ ſors cōmunis eſt iis omnibus, qui excuſſo dominatu à Deo accepto, alium ſibi pro ſua libidine, nefariè accerſunt. Nam & ipſe Iuonia, vel ob leuiſſimum delictum, pœnam capitis in ſontes ſtatuebat, viuos excoriabat, palis infigebat, oculis priuabat, (quæ pœna apud Valachos familiaris eſt) naſo & auribus ꝑciſis deformes homines reddebat. breuiter, ſi quis illo inuito ſeu racemum ſuæ vineæ, ſeu quidpiam aliud, ex quo cenſus penditur, vendidiſſet: hunc ille aut occidebat, aut hamo per nares illius traducto, manibúſque poſt tergum colligatis, tortoribus, vel, ſi iſti non eſ-

ſent, Nigritis (quos Ziganos vocant) per plateas immiſericorditer flagellandum obiiciebat: & (quod immanius eſt) cæſorum cadauera, inſepulta eſſe in foro ſinebat, vt canes eſu illorum ſaturarētur, homines aſpectu obedientiores redderentur. Hac tali feritate, tantum ſui metum amorémque (ſi modò in metu eſſe poteſt amor) plebi incuſſit, vt illū poſtea nō modò honorarint horruerintque, verùm etiam fortiter pro eo depugnauerint. Tale in illis locis, & ad Septētrionem, vulgi hominum ingenium eſt, vt caſtigatum, promptiùs quàm ſua ſponte officium faciat. Eſt in Ruſſia nobiliſſimæ proſapiæ Caſparus Paniewskius, præfecti Zidaczouienſis forma conſpicua filius. huic Bogdanus ſuam ſororē, matre id volente, bona cum dote locauit. Ipſe etiam Bogdanus, Iohannis Tarlonis, ſigniferi Leopoliēſis, pudoris pulchritudiniſque eximiæ filiam, ducturus in matrimonium erat. cui filię, matríque eius, viro mortuo, rex Auguſtus tutores dedit Senatores illuſtres, Georgium Iaſloui-

Iouiecium Russiæ, Nicolaum Mieleciũ Podoliæ Voiuodas: qui puellam sponso, non secus quàm si regia filia foret, tradituri erãt. Ad hos ergo Bogdanus vbi venit, opem illorum contra infidos Valachos implorat: suum honorem tuẽdum vt suscipiant, omnibus precibus rogat. idem petit & à militibus, finium regni custodibus. Hi itaque omnes, rei indignitate commoti, & illud Sirachi consilium sequuti: Iniuriam (inquit) patiẽtem eripe è manu iniuriam inferentis: neque vindicando animum paruum habeas: & eritis tanquam filij altissimi: quod & Dauid, Salomon, Ieremias, homines diuini, faciendum censuerunt: operas illi suas, ad vindicandum ius amissum, obtulere. miserat & ad Augustum regem certos homines, qui idem abs eo flagitarẽt. sed fœdus cum Turcis antiquum, auxilia ferre non siuit. tamen quod pręstare potuit, fecit. misso ad Turcam nobili legationibus viro, Andrea Taranowskio, Bogdano vt recõciliaretur, si modò offensus ab illo esset, vtq; eiectum in pa-

trium principatum restitueret, orauit. Egresso è Valachia absque omni operæ-pretio legato, confestim Bogdanus cum bis mille ferè, voluntariis militibus è nobilitate conflatis, in patriam irrumpit, quos traducto Nestro flumine, voluntate omnium, Nicolao Mielecio, propter prudentiam & rei bellicæ scientiam inter omnes summo, ducendos regendósque committit. Is sibi laboris socium & adiutorem adiūgit Nicolaum Sieniawskium, Palatini Russiæ filium, Striēsem præfectum, nō minùs quàm ipse, rei militaris scientia clarum: cui breui pòst, omnis oræ illius militiæ cura à rege commissa est. Horum ductu ingressi in Valachiam, rei frumentariæ paulò licentiùs studere cœperunt. qua re cognita, Mielecius furcam mediis in castris erigit, pœna capitis raptoribus statuta: quòd non ad hostes, sed ad suos venissent, quibus dominum restituere conarentur expulsum. Habitus est ibidē delectus militum. septingenti, bello gerendo parum idonei, domum reuerti iussi, mille tre-

centi

centi relicti: pauci numero, sed animi corporísque viribus præstantes. Postero die iter ingressi per syluam faginam (quæ quōdam ab incolis callidè succisa, 1494.
nostris perniciosa fuit) ad Prutum amnem peruenere. vnde misso Pilawskio centurione cum Bogdani famulis, vt Chocimo tormenta bellica adueherent: ad Stepanowczum (qui locus ad eundem fluuium est) processere. vbi facti de vicinis hostibus certiores: visum imperatoribus est, quò ad illos suis cum centuriis proficiscerentur insignis fortitudinis audaciéq; viri, Stanislaus Lanczcoronskius Scalensis, Michaël Iaslouiecius Chmielnicensis, præfecti: Nicolaus Herburtus, Stanislaus Volskius, Crussielniczkius, Temrucus Pietichorensis cum suis, & triginta Croatis. Hos Valachi cōspicati, quorū ductor Dambroua, Pruto celeriter traiecto, terga dedêre. ibant ergo nostri secundum vnam ripā, hostes ex aduerso secundum alterā: eius animi, vt sex millia virorum quadringētos Polonos nō fuerint adoriri ausi. No-

ſtri, nulla re memorabili patrata, in ca-
ſtra reuerſi, ire rurſus ad excubias agẽdas
iuſſi ſunt. profecti, incidunt in Turcicos
& Valachicos excubitores: qui multis in
locis ignes excitarant, vt hac ratione,
quamuis mille capita non ſuperarent,
plures eſſe viderentur. His noſtri cœlo
iam albente viſis, etſi impares, tamen ſe
tenere non potuerunt quin ſublato cla-
more in illos irruerent. at Turcæ, armis
protinus correptis, conclamant & ipſi:
Volſcianóſque atq; Croatas, qui eos in-
uaſerant priores, abs ſe propellunt. ſed
poſteaquam Herburtus, Lanczcoronſ-
kius, Iaſlouiecius, Cruſielnizkius cum
tympanis acceſſere, illico pedibus ſalutẽ
quæſierunt: noſtris fugientes, veluti pe-
cora cędentibus. vigintiquatuor viui ca-
pti: noſtri omnes ſalui. Croatæ ſolùm v-
nius, cui effrænatus equus erat, Turca
fugiens, caput acinace abſtulit. Hîc cùm
quidam Temrukianus Scytha, Volskij
cohortẽ repulſam eſſe ab hoſte vidiſſet,
inſciis omnibus, ad imperatorẽ cũ nun-
cio cæſorum Polonorum aduolat. cui
præmij

præmij loco, catenæ iniectæ, quòd vano rumore animos militum frãgeret. Subiecti quæſtionibus captiui, in proximo eſſe magnas ſuorum copias cõfeſſi ſunt. Quapropter centuriones, ſuos quiſque protinus inſtruunt ac ordinant: imperatorem de victoria, & hoſte vltra mõtem abdito, edocent, maioráque auxilia rogant. Voiuoda, interrogato iuuene an nobili genere ortus eſſet: eóque id aiente, Leſciniúmq; dici, & Herburti famulum eſſe: reſpõdet, Ergo (inquit) ea quæ refers, vera ſunt. nam nihil magis nobili, quàm vt ſemper vera & comperta dicat, curæ eſt. accipe, ingenue adoleſcẽs, hoc læti nuncij præmium, quo ſeruus Scytha minimè dignus fuit. Leſcinio muneribus affecto, & ſuorum animis recreatis, præmiſſiſq; ad illos qui opem implorabãt, Ioanne Iordano & Coſielskio: ipſe item eos Voiuoda cum reliqua manu ſequitur. vbi conuenerunt, primùm Deo, autori ſalutis omnium, cædis verò hoſtium: pòſt ipſis etiam, pro opera primo aggreſſu bene nauata, gratias

egit. Interim Pilawskius cum tormentis venit: quæ Iacobi Iordani fidei tradita sunt. Progreßi omnes ad Iaſum, animaduertunt, magna Turcarum Valachorúmque agmina tumulos Stepanowcios inſediſſe: adhæc, Valachos conſpectis noſtris, acies ſuas oſtentare. Hîc Mielecius, quid hoſtes auderent, periclitaturus: Herburtũ, Iaſlouiezkium, Temrucum, eos ad prælndium pugnæ elicere iubet. Verùm ij, animaduerſis inſidiis, (poſuerat enim dux in occulto Czeremiſſios præſtantes iaculatores) prodire in aciem noluere. Mielecius quoque, conſideratis hoſtium viribus, nec ignarus aliud reſiſtendi, aliud cedendi tempus eſſe: regredi potiùs quàm temere cũ paucis in Valachiam progredi, cõſilium capit. quare iubet per ſpeciem quæri vada Pruthi, quaſi Iaſum iter flexurus, cùm (opinor) reditus Chocimum verſus eſſet in animo. cur enim infinitis hoſtibus exiguum ſuorum numerum, nulla habens certa auxilia, opponeret? Dies Iouis prima à paſchate fuit, cùm cõuerſi Chocimum,

cimum, sequẽtes se propè magnis agminibus habuerũt hostes. Quorum audaciam minimè ferendã esse Voiuoda existimans, monet Herburtum, Lanczcoronskium, & aliquot alios, vt illos suis à ceruicibus reiicerent. quod hi propter loci iniquitatem, & quia sol ad occasum vergebat, facere tum detrectarunt, operam suam loco æquiore temporéq; magis opportuno ipsi polliciti. Proin nostri procedebant vlteriùs, hoste incassum è decliui loco tela tormẽtis in eos iaciente, donec inter Pruth & alium fluuiolũ peruenerũt. Nocte sub armis vigilanter transacta, cernunt prima luce hostes id vnum conari, quò ipsos circumuenirent & in angustias redigerẽt. Sed Herburtus sua cum cẽturia, quæ semper extremum agmen claudebat, multitudinem hostium falcatam aggressus, in aquas compellit. Quibus actis effudit se quidam è suorum grege Turca hastatus, more militari aliquem è nostris ad monomachiam prouocãs. Vix hæc effatus, aduolat à latere cum venabulo Stanis-

laus Viſtempus, exigui quidē corporis, ſed (vt tales ſunt) pectoris impauidi: quo venabulo Turcam vno ictu tranſuerberat. Accurrunt Turcæ ſubſidio prouocatori animam agenti: noſtri item Viſtempo triumphanti. Fit mediocre certamen: in quo Zebro, Polonus centuriæ Lanczcoronskianæ, occubuit. Turcæ tali viro amiſſo, ibant quieti die illo, qui Veneris fuit: illis ideo ſacer, vel quòd Mahometes creatus ab illis hoc ipſo die rex foret: vel quia, vt à Chriſtianis ſuperſtitione diuerſi ſunt, ita etiam aliud colendi Dei tempus, aliúmque modum habent. Nos enim ad orientem ſolem, patriæ oriētalis, è qua Adam eiectus eſt, memores: illi, ad meridiem conuerſi, Deum hac die adorant. Poſtera luce, noſtros Chocimum tendentes magna phalanx Turcarum inſequuta eſt. vbi rurſum alius Staniſlaum Ciolcum, armis habitúque, qui luteus erat, inter cæteros fulgētem, ad ſingularem pugnam euocat. His auditis, currit ad Voiuodā Ciolcus, ac vt ipſum in ſui honorem, tanto

cum

cum viro hasta certare permittat, etiam atque etiam orat, obsecrat. Cui is, Ego verò, inquit, non sinam vt quisquam vestrum, qui diuitiores habemini, tali barbarico certamine, periculo se exponat. E re magis vestra futurũ, si iũctis animis dextrisque, hostem, vbi necesse erit, aggrediamini. Dolenter hæc Ciolcus tulit. Hoste in prouocatione perstante, & lingua Slauonica, veste pẽnisque nitentem prouocante, obsecrat prouocatus, vt, si hoc sibi nõ liceret, saltem quispiam suorum famulorum cũ barbaro in arenam descenderet: ne impunè Christianis insultare videretur. Data facultate, statim contra illum cum hasta proruit Paulus Chauzowskius: nec id segniùs Turca fecit. sed vterque cursu irrito. Tũ Paulus, manu promptus iuuenis, districtum subitò ensem fronti hostis infigit: adhæc vulneratum, ferrum hærens extrahentem, brachiis corripit. Visa longiuscula luctatione, decurrunt ad commilitonẽ Stanislaus Visga, & Stanislaus Niegoczkius: hic, Baworowskij, ille

Herburti minister. Turca manibus Pauli elapsus, recipit se ad suos. qui subitò, lethali cognito vulnere, complures adorti illos tres, egregiè se à vi magna defendentes, vndique petunt. Laborantibus subueniũt suis cum turmis Herburtus & Volskius. fit cædes magno strepitu. sospitat Christus preliũ Christianis. barbari in fugam vertuntur: quos ij cædentes acriter persequuntur. Exclamãt imperatores, fine persequendi facto, pedem referrent, & ad signa redirent: clamitant & centuriones, inhibéntque frustra. adeo iam animi victorum incaluerant, vt reuocari ab incepto non potuerint. Quod cernentes alij centuriones, non multis in castris relictis, pugnantibus animos suo aduentu addidere. Tũ verò omnes simul multo feruentiùs hosti numeroso instare, cæsim punctim ferire, donec illos ad ipsa statiua Valachica compulerũt. Prouecti calore pugnandi vltra tubicines & tympanotribas, animaduertũt se nimiùm procul à suis abscessisse. quapropter coacti in vnum, ad

eos

eos redeunt. Res mira, nec alij quàm Deo, ſuorum pilos numeratos habenti, aſcribenda, quòd eouſque pugnando progreſſi, nec circumdati ab hoſtibus eſſent, nec in conflictu acerrimo plures vnico, qui fuit Volskij, ceciderint. Reuerſos palàm obiurgabat imperator Mielecius, tacitè laudabat fortitudinẽ: quòd præter ſuum iuſſum, rem ſummi periculi pauci tentaſſent. Nos verò, reſpondent, collegæ tui permiſſu id fecimus. quidni enim, Deo conatus ſecundante noſtros, hoſtem fugientem perſequeremur? Loco quodam cœnoſo ſuperato, qui haud procul Chocimo aberat, Turcæ noſtros ea cum vociferatione aſſequuntur, vt viuos deuoraturi viderentur. Staniſlai verò Czureli centuria maximè petebatur. ad quos conuertente ſe Czurelo, procurrit cum malleo acuto Mielecij miniſter Radeczkius, bellandi cum Turcis gnarus: quem capiti vnius vbi impegiſſet, eximere non quiuit. hũc imitatus Czurelo, cum centum ſuis equitibus, tantum hoſtium nu-

merum aggressus est, vt nostri inter illos dispersi, non iam apparerent. at imperator extemplo mandauit Ossowskio, vt cum suorum equitum manu perturbatis succurreret. Cæterùm Turcæ, visis pluribus nostrum ad se, tanquam irritatis feris, currentibus, e uestigio retrocesserunt. vt enim Scythas, ita etiam Turcas, fortitudo statim deficit vbi quis illis viriliter resistit. imbellem si videant, magno eum impetu inuadunt. Sex tantùm è Czurelianis desiderati: at verò Turcæ atque Valachi concisi contritiq; passim iacebant. Tendentibus nostris Nestrũ versus, Turcæ suo incursu nouissimos penè attingebant. Molestè id ferebat respectans animosus Herburtus: nihil tamen iniussu sui ducis tentare ausus. Triginta Czeremissij ab tergo constituti, glandibus tormẽtorum incursantes repellebant. Fuit ibidem quidam palustris locus, nostris trãseundus: ad quem hostes celeriter concurrerunt, aditu eos prohibituri. verùm iussu vicarij imperatoris, exonerata contra illos à Stephano

Gar-

Garnissio, Herburti subcenturione, 12 minora tormenta, vnum maius ab ipsomet Ciolco, conturbatos vltra montem reiecerunt. Exantlatis tot aduersis, tandem ad Chocimensem arcem, concubia nocte venerunt: quam arcem Dobrossolouius Polonus, paruo præsidio tenebat, & fide bona (cuius gens nostra natura seruans est) Bogdano tamdiu seruabat. vbi Turcæ nostros, iam securiores, & ordinis negligentes, facilè oppressissent, ni Temrucus centurio, tamdiu illos sustinuisset, dum singuli suis sub signis cõsisterent. Godzissevvskius prior è centuria Goraiskij hostes sensit, deinde alij: qui celeriter à Sienavvskio ordinati, productis ante aciem tormẽtis, hostem opperiebãtur. nec res, tametsi copiis nostri multo forent inferiores, certamini moram fecit. Vetuerat autẽ Mielecius, ne quid ipse Bogdanus attẽtaret: sed contentus iis quæ alij pro eo subirẽt, in castris, vbi erant pręstantiores, maneret. Ibi prima contentio inter nostrum exiguum peditatum & Valachos de se-

pe quadam orta. Dehinc Turcæ nostros inuadere premeréque. Rogante Ciemierinskio auxilia, Temrukus & Herburtus, à Sieniavvskio ferre iussi, respõdent, minimè committi debere velites loricatos, venabulis vtentes, cum Turcis hastatis & scutatis: (nam facilè ab illis dispergerentur) sed hastatos cum hastatis, vt sit pugna æquior. se verò præsto fore, vt hostem alia ex parte inuadant. Tali excusatione vsis successit Sieniavvskij mandatu, Iacobus Iordanus: cuius centuria hastata ex imberbibus constabat, sed quibus erant animi Herculei. In hac quatuor fratres ipsius germani fuere. Hi omnes, diuina ope implorata, eo impetu in hostem incurrũt, vt nullius hasta ab aduersario aberrauerit. pugnãtibus subueniunt à latere Herburtus & Sigismundus Rozenus: sed protinus resilierunt saucij Turcæ. quos hi verberãdo, vsque ad ipsorum castra variis tramitibus fugarunt. Callidè autem, dum fugerent, arma, pileos cæteráque impedimenta abiiciebant, dummodo se insequentes

quentes ad ea colligenda pertraherent: ſed quia de vita & gloria certamen fuit, ſpreta hæc omnia à victore. Porrò Garniſſus, vbi illos plus ſatis excurriſſe vidit, alta inclamauit voce vt ſeruato ordine retrocederēt. Fecit hoc cum Lanczcoronskio Herburtus. redigunt paucos in ordinem à cæde retractos, & reducunt: Iordanianis nihilominus, variis in ſylua locis, hoſtē diſpalatum perſequentibus. Ineſt enim noſtris quidam pugnādi ardor, vt ceſſare neſciant antè quàm vel vincantur vel vincant. ferrum nihili ducunt, modò ad illum qui ferit, perueniāt, & cædendo cupiditatem expleāt ſuam. Poſtquam Turcæ noſtros longè digreſſos, & omnibus deſtitutos auxiliis vidēt: deintegro circiter ſexcenti integri, quadraginta defeſſos aggrediuntur, & magno cōcurſu multi paucos premunt. opportunè autem tunc ad illos fortefortuna delati fuere, Rozenus & Io. Radeczkius, generoſi pugnatores. Tum Herburtus paucis ſocios cohortatur, ne ipſorum animi multitudine hoſtium laba-

ſcerent: quos, Deo freti, nõ ſecus quàm priùs diſiecturi forent, modò honeſti & famæ memores, quæ bona fortes ſequitur, dimicarent viriliter. Quibus dictis, ſéque ſequi iuſſis, incitat equum in hoſtes appropinquantes. Inuadunt in eos, etiam reliqui. Inſtauratur acris pugna, ſi quæ vnquã alia. Qua crudeſcente, auulſum ab aliis Herburtũ permulti impetũt. Et ipſe quidẽ ſingulari fato patrię ſeruatus eſt: verùm ſocij eius quatuor, Dobruczkius, Golinskius, Vodziraczkius, Conarskius, interẽpti ſunt. Vagabatur aliquandiu inter hoſtes Herburtus, pro Valacho ab illis propter veſtem habitus. ita oculi illorum diuinitus obcœcati erant, vt, cuius conſpectum toties fugiſſent, eum nequaquam agnoſcerent. Sic ne in bello quidem, diuina homines probos deſtituit prouidentia. Verùm enimuero ne illinc quoque ſine damno dato diſcederet, nactus opportunum tẽpus & locum commodum, vni è Turcis graue infligit vulnus, ſéque ſubitò fugę mandat: foſſam quandam mirè latam & pro-

profundam equo adacto transilit. Tollitur clamor Turcicè, Gaur, gaur, vvur, vvur: Valachicè autẽ, Ocide, ocide. hoc est Occide Ethnicũ. Ad quæ verba prosiliũt duo Turcæ: quorum vnus à dextro latere ipsum ita sarissa petit, vt ex ephippio penè iã excuteret: alter, ab sinistro, momento eodem, (admirandã Dei prouidentiam) conatus transuerberare, in equum subleuat. Accepto tali beneficio, equo addit calcar. Fugienti, capite humerísque gladio protectis, obuius fit Slesinskius, armiger Lanczkoronskij. hunc agnitum, sibi vt opituletur, si quid possit, orat. Facit hoc non impigrè armiger. Sed Turcæ, viso præsenti auxilio, destitere cursu. Auxiliator benignè remuneratus, & magnam apud omnes, quòd tantum virum seruasset, iniit gratiam. Famuli mæsti, viso reduce hero, maiorem in modum refocillati sunt, periisse illum iam opinati. In tam impari pugna, præter hos quos commemoraui, haud plures vel octo vel decem interiere, qui erant Lanczcoronskij & Ioannis

Iordani. quos inter nobilior fuit Stanislaus Gosdzikovvskius, Iordani collega. quocum sui famuli occumbere, quàm illo deserto, vitæ suæ fuga consulere maluerũt. Vulnerati nõ pauci. Cæteri ictus hostium incurrẽtium armis auertentes, incolumes ad castra reuenere. Venientes Cosielskius centurio, Turcas esse opinatus, hastis excipere voluit, ni sermo Polonos esse prodidisset. Non desiere Turcæ in Cosielskianam centuriam, quę primam aciem tuebatur, impressionem facere, donec eos Iacobus Iordanus, tormentis & peditatui præfectus, abegit. Fuit autẽ vnus ex illis, præ cæteris audacior, magni (vt videbatur) inter suos nominis. nam, quocunque iter intendebat, semper illum turmatim cæteri sequebantur. is identidem nostros ad pugnam lacessebat. nimiùm gestientem Mlodeczkius, Kosielskij socius, globo petit tormentario: labentémq; ex equo hisce verbis alloquitur: Itáne verò hîc iã iaces bacchanal? Fuit enim pennis struthiocameli, & exuuiis leopardinis, instar

ſtar perſonæ, cùm Bacchi feſtum agitur, perbellè ornatus. hunc aſſeclæ correptum ad ſuos curſim deferunt. Poſt hęc Mielecius, rebus hoſtium bene conſideratis, monitúſque à Pencoſlawskio, Iac. Iordani vicario, caſtra illinc aliò mouit, ab hoſtibus ita infeſtata, vt caſſidem Gabrielis Remboskij, aſſidui ſectatoris Mielecij, glãs ferrea attigerit. Tum autem Coſielskius, & mandatu ducis, & ſucceſſu hortante priore, caſtra adortus hoſtilia, complures in eis interfecit: inſuper tormēta aliquot parua, & ſignum militare rubrum, illis eripuit. tam audaci incurſu hoſtes haud mediocriter perturbati: frequentiſſimi paucis cedebãt. quibus eo modo repulſis, caſtra locata ſunt ad Chocimum. Primarij in arcem ingreſſi: cæteri, ſtationes ſuas foris ſeruabant. Hinc Bogdanus ad Iuoniam mittit Radeczkium, nobilem Mielecij famulum, orans eum ne ſibi patrium dominatum, in quem ius haberet nullum, vi eriperet. alioquin non futurum diuturnum, iniquè acquiſitum imperium.

cogitaret, nihil esse grauius quàm de statu pristinæ dignitatis, propter vim alicuius, demigrare. Ideo expectaret ab alio paria iis quæ faceret alteri. Deum enim hac ratione solere vlcisci omnem iniuriã. Auxit rem eam verbis pluribus. Quibus minimè motus Iuonia, legatũ custodiæ Pyri czausi tradit: dehinc, cùm nulla alia ratione quenquam è Polonis nancisci viuum potuerit, iure gentium violato, Selymo imperatori, domino suo, mittit. Perductum ad Mehmet Bassam, ait Pyrus captum in prelio esse: negat id Radeczkius, sed tamen non fit ideo liber. Fuerunt tunc temporis Constantinopoli nobiles Poloni, Andreas Taranovvskius, & Christophorus Dzierskius: hic interpres, ille nũcius regius. Ij nihil non tentauere, ne quid grauius in insõtem Radeczkium statueretur. verùm Bassa, postquam de strage suæ gẽtis hominum in Valachia, intellexit, nõ solùm tulit hoc acerbissimè, sed etiam captiuum, more aliorũ remigum, toto corpore rasum, ad triremes damnauit. multa hi tum aduersa à Turcis experti. Nõ

prætereundum hîc esse videtur huius Dzierscij, dum Constantinopoli disceret sermonem Turcicum, singulare in gẽtem Polonam studium. multos enim captiuos, variis artibus, dura seruitute liberauit. sæpe hostium de nobis consilia, præsertim interregni tempore, Senatui aperuit. pericula hoc nomine adiit: impensis non pepercit. Huius opera Miecius (cuius is munificentiã erga se maximè sensit) vsus apud Bassam primariũ est, in liberando Radeczkio. qui Bassa, cùm & ex aliis czaussis, (aulicos illi, qui huc atque illuc cum mandatis mittuntur, sic vocant) & ex Petro Bogdani fratre, qui pòst ibidem decessit è viuis, cognouisset, Radeczkium non in prelio, sed legatione ad Iuoniam fungentem, captum fuisse: diu perquisitum (iã enim triremes in pelago erant) reddi Dzierskio iussit: verùm (vt isti mali solẽt) clàm ei porrecto veneno. quod ipsi mortem attulisset, ni ibidem liberator, dato maturè remedio, succurrisset. Liberatus, rediit pòst in patriam cum Martino

Bronievvskio, ad petendas inducias, dũ in locũ demortui Augusti, alius rex substitutus esset, misso. Mielecius, vidẽs in dies copias augeri Iuonianas, suas verò magis ac magis inedia confici, (nam dies aliquot equis nostrum, nullum aliud pabulum quàm frondes & frutices erant) adhæc memor illius oraculi, Dei voluntate dari populis abrogariq; reges: quãobrem, ne cũ Deo pugnare videretur, néve quos induxit, ꝑderet, de reditu in patriam cogitare cœpit. Interim Iasslouiecius, copiarũ regni Poloniæ ductor, cognito Valachiæ turbulẽto statu, iamiam erat Nestrum traiecturus cum equitatu octingentorum ferè virorum, ni id prudens Mielecius dissuasisset: opinor, ne magis irritatis barbaris, suos in discrimen adduceret. Ne verò nihil ageret, mittit quosdam è suis ad pręfectum Bialogrodensem, qui hæc illi dicerent. Hi, inquit, Poloni, quos Bogdanus, neque rege, neque me sciente, dominatum recuperaturus auitum, è Polonia eduxit, amici mei sunt: quibus Cæsaris tui voluntas

lũtas à Bogdano alienata, & in Iuoniam propẽsa, minimè nota fuit. At verò, vbi ita se rem habere, ex Cæsarianis quotidie crescentibus copiis perceperunt: reuerti illò vnde exierant, voluerunt, sed à tuis impediti sunt. quare, si lubet, ita tuos compesce, ne quod nostris obiiciatur impedimẽtum. Quod ni feceris, necesse me erit cum his paucis, quibuscum ad terminos regni nostri & tui Cæsaris veni, breui plures habiturus, meos amicos ab omni iniuria tueri atque vindicare. Quod si factum erit, vereor ne te cõsilij tui pœniteat. Præfectus, (Sendziacum illi vocãt) simulatque hæc audiuit, continuò Turcas atque Valachos à ripa Nestri abscedere iussit. Traiicientibus nostris angustis nauigiis quinque diebus flumen, multi equi ex eis præcipitati, vi fluminis abrepti ac suffocati sunt. Non discesserant verò à ripa omnes Valachi. qui extremum agmẽ carpere conati, & à peditatu in tergo collocato cũ tormentis, & ex ipsa arce Chocimensi, iaculis repressi fuere. Nostri, traducto

Nestro, Deo in primis, deinde ductoribus suis gratias egere: hi cõtrà illis, quòd obediẽtes, quòd fortes in preliis se præbuissent. Vulgò creditum, Mielecium suis vitam à Deo deprecatum esse. non rarò enim pernox supplicare Deo visus. Quamobrem magnam hinc ille laudem suo cum collega tulit. Ibant autem omnes seruato ordine vsque ad Camenecìam arcem, diuina manu munitam. Vbi Bogdanus, indignè patrimonio spoliatus, actis omnibus gratiis, qui se ipsius causa innumeris periculis exposuerant, cuius quidem eorum beneuolẽtiæ, quoad viueret, qualicũque fortuna, memor esse vellet: diuersum ab illis iter cum aliquot Polonis suscepit. Porrò relictus in arce Chocimensi Dobrossolouius, cum septuaginta iaculandi peritis peditibus, fortissimè illam à vi Turcica aliquot hebdomadas, factis interdũ eruptionibus, defendit. Hunc Iuonia, cùm nec precibus nec minis eò adducere posset vt arce excederet: scribit ad Iasslouieciũ litteras, quibus illam tradi sibi petit: se tale

iusiu-

iusiurandum daturum suis cum proceribus promittẽs, quale rex Augustus dari mandaret. (nõdum enim mors ipsius diuulgata erat) annuit Iaslouiecius, quòd hæc mandata abs rege accepisset. Igitur in hæc verba iurat: Nos, (inquit) Iohan, Voiuoda terrarum Moldauiæ & Valachiæ, dominus atq; hæres: iuro per Deũ omnipotentem, ac ritu feudali promitto, nos successoresque nostros, vnà cum senatu & subditis nostris, fideles, constãtes, obediẽtes fore serenissimo Poloniæ regi Sigismũdo Augusto, successoribus senatoribúsque eius, ac ipsi reipublicæ. Idem Senatus iurauit. Fuerũt autem isti præcipui: Isaias episcopus Radziouiensis, Iohannes, Golofelt Moldauiæ, Bochdanus. Post hæc Dobrossolouius, ab imperatore Iaslouiecio verbis regiis iussus, cum milite ex arce descẽdit. His ita transactis, Turcæ, Valachi, Scythæ, numero circiter centum millia virûm, accepto de obitu regis Augusti nũcio, (erat autem septimus Iulij dies, quo vita functus est Sigismundus Augustus) intenti

in Russiam, non priùs à Nestro secedere voluerunt quàm ea de re Cæsarem consuluissent, & precibus Iuoniæ à proposito reuocati essent. Parci fœderatis Cęsar Selymus iussit: nisi fortè talem sibi ipsi constituerēt regem, qui ipsius hostis esset. (quo in numero & Moschum & familiam Austriacam habebat) Lectus rex Henricus, Dux Andium, Henrici 2, regis Gallorum, filius: vbi regnum largitione quęsitum, & 4 solùm menses administratum, patrio postposuisset: hos eosdē Scythas discessu suo, anno Christi 1574, in Russiam, mēse Octobre attraxit: quo anno Iuonia, iniquè parti dominatus: Valachi, perfidiæ pœnas dederunt.

FINIS.

Ad lectorem.

Quem Gorecius pag. 12 Tyaram vocat, Strabo, Ptolemæus, Stephanus & alij, nominant Tyram seu Tyran. quamobrem pag. 112, à Gorecij codice discedere, & veterum autoritatem sequi non dubitauimus. Eiusdem, non nostra culpa, tam varia est in quibusdã nominibus, præsertim exoticis, scriptura & inflexio. Eidem, non nobis, tribuenda est deponentium pro passiuis, actiuorum pro deponentibus vsurpatio, transpositiones relatiuorum commatum inusitatæ, nominatiui & accusatiui pro ablatiuis absolutè positi, similésque aliæ syntaxeos & phraseos formæ insolitæ.

CLADES Dantiſcanorum, anno Domini M D LXXVII, XVII Aprilis:


A

IOANNE LASICIO POLONO deſcripta, & emendatiùs ſecundò edita: in qua cauſę belli à ſereniſſimo Rege Poloniæ Stephano contra Gedanenſes ſuſcepti, referuntur.

ACCESSIT

Satyra Ioachimi Bielſcij, in quendam maledicum Dantiſcanum.

FRANCOFVRTI,
Apud Andream Wechelum.
A. M D LXXVIII.


Центральна
наукова
бібліотека
АН УРСР
№ 7
2807863

MAGNIFICO VIRO, DN. IOANNI ZBOROWSKI, CASTELLANO Gnesnensi, Duci copiarum Aulico serenissimi Regis Poloniæ Stephani, Odolanouiẽsi, Kieskensi Volpiensiq; præfecto, Senatori integerrimo, salutem & felicitatem.



ITTO ad te, strenue imperator, hanc belli abs te, Angelis Dei iuuantibus, confecti, descriptionẽ: vt gesta tua, tuorumq́; fortium militũ, quæ iam litteris mandari incipiunt, nunquam esse moritura nisi cum hac vniuersitate rerum, cognoscas: & eò maiorem inde voluptatem percipias, ad maiora facta tantò magis inflammeris. Qua in descriptione, tute nosti quale meum fuerit studiũ, ne quid falsi esset. Si quæ præterij, ea supplere licet aliis. Dolenda est sanè isthæc Christianorum calamitas. at quid aliud magistratus ageret, imperata facere nolentibus? etsi nondũ hic magistratus noster, suo vsus esse gladio, quem à

Deo ad coërcendos malos accepit, videtur: id tantùm apparuit, quemadmodum pro eo regum ille rex ac defensor pugnauerit: quũ hostes non contenti eo, se vt intra mœnia continerent defenderentq́ue: foras etiam, Regem suũ oppugnaturi prodierint. Quorum cõsilia quẽ finem sortita sint, tu ipse vidisti, ego descripsi. Faxit igitur Deus, quandoquidem perduelles ne nunc quidem resipiscunt, vt de te, milite eodẽ tuo, & Rege nostro fortissimo, similia scribere liceat. Attamen magis illud à Deo precor, vt, qua Gedanẽses ob peccata affecit cæcitate, eam post hãc cladem, animis illorum adimat: ne fortè, accensa magis Vncti Dei ira, funditus euertantur. quod vt Ioannes Dantiscus, ciuis illorum, supra annos XL *prædixit: ita & ego mihi videre iam videor. Vale, & pugna feliciter, decus amplissimæ Zborouiorum familiæ: hanc autem meam lucubratiunculam eodem animo, quo me miles, annis abhinc* XIX, *in Gallia complexus es, quæso te, accipe. Barcini, anno* M D LXXVII, XX *Maij.*

Tuæ dignitatis obseruantissimus

Ioannes Lasiczki.

CLADES



CLADES DANTISCANORUM, anno Christi MDLXXVII, XVII *die Aprilis:*

A Ioanne Lasicio descripta.



NTEQVAM ad funesti Gedanensium suo cũ Rege belli descriptionem accedam, illud mihi præfandum esse videtur, ipsosmet Gedanenses tanti sui mali causam fuisse. quod quidem, præter hunc miserabilis pugnæ euentum, ab irato procul dubio Deo profectum: ex conditionibus quoque à cleměti Rege ipsis non semel oblatis apparet. Nam quum Rex Stephanus, quinto vt regna-

re cœpit, menſe (qui erat anni ſuperioris Septēber) firmandi regni ſui cauſa, Cracouia Marieburgum veniſſet, opinatus tanto faciliùs, quāto Gedanum propius, omne negotium tranſactum iri: factum neceſſariò eſt, Senatu qui cum Rege fuit conſulto, vt Gedanenſes, rebelles pronunciarētur: quòd à Coſſobucio ſecretario, Andrea Sborouio curiæ Marſalco, & ab aliis duobus Senatoribus ad ipſos miſſis officij admoniti, nihil de ſua obſtinatione remitterent: quódque ad cauſæ ſuæ dictionem, fide bona vocati, quamuis commodè potuerint, tamen non venerint. quæ nota inſontibus grauis, nihil quidquam illorū animos permouit: nullum in illis ſeriò placandi Regis, contumacia offenſi, ſtudium apparuit. quin imò Regi legem imponentes, vt antea, ita pòſt, liberari ab eo fide Cæſari Maximiliano, à paucis appellato Poloniæ Regi, præcipitanter data, volebant: triginta aliis conditionibus (quarū primæ, vt à quibuſdam oneribus ab Auguſto Rege ipſis impoſitis liberi eſſent, & por-

& portorio ipſimet fruerentur) cum illo paciſcebantur: militem in Germania, inconſulto Rege & regni Senatu, conſcribebant: portas interdiu, nullum habẽtes hoſtem, claudebant: non contenti generali Regis iureiurando, legibus publicis priuatíſque ſuis ſingulari quoque (Regẽ hac ratione infidi animi arguẽtes) caueri poſtulabant: contumelioſis & ab omni veritate alienis de Rege laudatiſſimo & regno, officinæ Iacobi Rothi ſcriptis Germaniam implebant: Grebino, territorij ſui capiti, in ipſo Regis conſpectu, præſidia imponebant: vrbem ſuam tam milite mercenario, quàm validis propugnaculis, magis ac magis muniebant. Quibus eorum facinoribus benignus Rex irritatus, arcem Grebinenſem 26 die Septembris occupat, præſidia cædit & fugat, multos pagos quos Zulawa illorum habuit, euaſtat. Perciti inopinatis cladibus damníſque, impetrant quatridui commeatum, vt vrbe tutò exire liceret. Egreſſi, ſuburbium pagúmque ditionis Epiſcopi Wladiſlauienſis, Sena-

toris regni Poloniæ, igni comburunt: ac paulo pòst cœnobium, iuris eiusdem antistitis, intra sua mœnia, ac item aliud extrà, quòd Oliuense vocatur, antiquis principum Pomeraniæ sepulcris clarũ, euertũt: imbelles monachos, alios contrucidant, alios ludibrio habent. misêre tamen ad Regem cum certis postulatis octo viros. ad quę eiusmodi responsum, primis Octobris diebus, accipiũt. Rege copias suas ex agris illorum abducturo, ipsi quoque suos milites dimitterẽt, iusiurandum darent, exteros iurare nolentes vrbe mouerent, supplices veniam peterent, confirmationem iurium habituri, ad comitia regni venirent: tum decretum ob contumaciam cõtra ipsos latum, & quę vocarent grauamina iniustè sibi imposita, suo modo tollerentur. Acceptis his conditionibus, non omnes illis probatæ. oblatas deinde alias, eodem modo aspernati sunt. Rursus impetrata 17 Nouembris, suis internunciis, Constantino Ferbero & Georgio Rosenbergio, vltro citróque commeandi hisce legibus

gibus ſecuritate, calendis quoque Decembribus vlteriùs prorogata, vt pacata ciuitate, dimiſſóque milite, ad Regẽ venirent, delicti veniam petituri: reſcribũt quædã à Regis voluntate aliena. & quoniam conditionibus non ſatisfecerunt, retenti ſunt à Rege legati. Aliud ſemper quàm par erat, & Rex iuſtus volebat, reſpondentibus, humilibúſque verbis ſuperba ſcribentibus: extracta res eſt ad comitia Toronenſia, menſibus Octobri atque Nouembri, anni 1576, Gedanenſium potiſſimè cauſa celebrata. In quibus Regia de ipſis ſententia, ab omnibus prouinciis ordinibúſque comprobata eſt. deliquiſſe Gedanenſes, & crimen contra Maieſtatem commiſiſſe, inuenti. Quò, hoc cum reſponſo, illi iidem reuerterunt, quamuis Rex exercitum abducat è Sulawa ſuum, ipſos tamen non eſſe id facturos: nec ad commune concilium, quum ad illud non pertineant, venturos. Mirabantur noſtri hæc ab illis ſcribi, quum anno 1569 Rex Auguſtus Lublini, aui ſui Caſimiri quarti,

de conciliis conuentibúsque Prutenicis illam legẽ, *Omnes causas notabiles, ad terras Prussiæ pertinentes, cum communi consiliariorum earundem terrarum consilio tractabimus:* ita cõmodè interpretatus sit, vt ostenderit, non esse certum locum hisce causis tractandis definitũ: nec hinc Senatũ regni, sine quo nihil magni Rex constituat, excludi: sed ex indiuiduo Poloniæ cum Prussia vinculo, anno 1454 opera eiusdem Regis facto, omnia communia sequi: non tamen leges harũ gentium confundi: ideóque tali iurisiurandi formula, fidem suam Regibus & regno Poloniæ, consules ciuitatum Prussiæ atque nobiles obstringere: *Ego N. iuro quòd serenissimo D. Sigismundo Regi Poloniæ, & suis successoribus Regibus Poloniæ, eiúsque regno, fidelis ero: eiúsque Maiestatis honorem, statum Regium, & commodum Reipubl. Regni & terrarum Prussiæ, pro virili procurabo: suámque Maiestatem de omnibus damnis quæ sciuero, certiorem faciã: & ea manifestabo fideliter. sic me Deus adiuuet.* Non destitere porrò tempus tere-

rere

rere variis effugiis, clàm in Germania auxilia conquerentes, Rege prudẽti futura prouidente, ac quæ iam acciderũt, prædicẽte. Ad quem vbi Rosenbergius cum Henrico Lempka iurisconsulto, vltimum ipsorum, ad ea quæ 25 Ianuarij acceperũt, respõsum, multo aliud quàm sperabatur, Bidgostiam attulissent: statutum est, post diu tẽtatam, tandem etiã contemptam mitis Regis patiẽtiam, debellare superbos, & vi cogere ad officiũ ciuitatem, quæ potestati à Deo institutæ nollet subiici. Nã quid aliud, bonũ regẽ facere oportuit? Adducã huc quæ tũ etiã illis gratificabatur. *Respõsum sacræ Maiestatis Regiæ, internunciis ciuitatis Regiæ Gedanẽsis à Maiestate Regia ad eorũ supplicationem datum.* Sacra Regia Maiestas satis abundè omnia intellexit, quæ ciuitatis Gedanensis nomine ab ipsius Maiestate petebantur. Existimat autem, ad frequentes ciuitatis suæ Gedanensis supplicationes, satis supérque se vsum esse clementia, conniuentia sua regali: ita vt amplius vtẽdum sibi esse nõ putet tam diu-

turna procraſtinatione, rerumq́; & negotiorum propoſitorum dilatione. Verti ea in re iudicat dignitatem ſuam: expediréque rebus & conſiliis ſuis cenſet, vt iſta tractatio iampridem inſtituta, nũc tandem finem ſuum ſortiatur, modo & ratione infrà ſcriptis. In primis concedit Maieſtas Regia vt pro concludẽdis, vltimóque fine terminandis conditionibus, à Regia Maieſtate ciuitati oblatis, iſto modo quo Regia Maieſtas concluſit ac determinauit, in ſpatio ſex dierum Maieſtati Regiæ ſatisfiat, pleneq́; de his omnibus ciuitas Regiæ Maieſtati reſpondeat. Hi verò dies per reliquos mẽſis Ianuarij dies anni præſentis, ciuitati conceſſi eſſe cenſeantur. Primò quidem, ducenta millia florenorum, numeri & monetæ Polonicalis, Regiæ Maieſtati ciuitas perſoluere debet. Prima quidem, in ſpatio vnius menſis: alia verò centum millia, prima die Martij, anni futuri 1578, Regiæ Maieſtati reponet. Et nunc etiam oblationi Statuum Pruſſiæ innitendo, duplicem acciſam ciuitas

iuſtè

iustè & integrè contribuet, eámque in thesaurum Regiæ Maiestatis inferet, prout id melius & vtilius ipsius Maiestati fore videbitur. de quibus omnibus obligationem forma concepta quæ mittitur, faciat. Illa quæ merè regalia sunt, quæ ex priuilegiis ciuitas Gedanensis Regię Maiestati pẽdere debet: ea quotannis exoluantur. ista enim obligationibus aut exemptionibus vllis subiici non vult. De 4 tormentis bellicis, vnà cum puluere globísque bene præparatis, ad vsum belli præstãdis, ciuitas Regiæ Maiestatis volũtati satisfaciat: in eóque Regiæ Maiestati morem gerat. De prorogatione temporis ad Palatium, aliaq; ædificia regalia in ciuitate Gedanẽsi extruenda, permittit Regia Maiestas ex gratia clementiáque sua, tempus competens ciuitati se concessuram esse. De portorio maris, negotiũ ad futurum regni conuentum reiicit: ita tamen vt Regiæ Maiestatis scriba peculiaris ibi adsit, iuxta priorem declarationem. Grauamina, quæ autoritate sua citra cõsensum

Ordinum regni tollere poteſt, ea tolliti reliqua ad cōuentum regni generalem differt, vt de illis ex ſententia Ordinum decernatur. Quæ tamen Regiæ Maieſtatis de grauaminibus iſtis ſententia ſit, eam peculiari priuilegio ſuper his conſcripto declarauit. Si verò vult, aut magis cupit ciuitas, nō abnuit Regia Maieſtas vt omnes articuli, & omnia grauamina, ac omnes actus cōmiſſariales, inter quos & portorij negotium eſt, ita vt etiā ſcriba ad id non adhibeatur, ad futurum regni conuentum reiiciātur. Reliqua tamen placationis capita, ac declaratio Religionis conſeruandæ, ſtare debent loco & tempore ſuo. Confirmationem iurium & libertatum, iuxta formam præſcriptam quæ mittitur, Regia Maieſtas ciuitati dabit: omniáque priuilegia, iuxta illius contenta, conſeruabit, eámque authenticè nunc extradet. Si fortè ciuitati placeat grauamina omnia articulóſque (placationis conditionibus & capitibus, tum etiam Religionis conſeruatione, de quo ſpecialibus litteris cauebitur,

uebitur,

uebitur, exceptis) ad futurum regni conuētum reiicere: litteras reuersales, prioribus non absimiles, ciuitati dabit: quibus promittet, autoritatem suam apud Ordines regni interposituram esse, vt ciuitatis ratio habeatur, grauamináque ipsius illegitimè irrogata discernantur & abrogentur. Ante omnia ciuitas militem dimittat, Regiam Maiestatem forma concepta deprecetur, conuentis se stare obliget: fidelitatis iuramētum præstet: omniáque faciat quæ ad subiectionis fidelitatísque officiū spectant & pertinent. In quorum omniū fidem sigillū nostrū apprimi iussimus. Datum Bidgostiæ 25 Ianuarij, anno Christi 1577, regni verò nostri primo. His subscriptio manus Regiæ accessit. Dedit iisdē die eodem priuilegium de grauaminibus, eodem quo dictum est modo, abrogandis, vsu Augustanæ Religionis conseruando, omnibus priuilegiis legitimè impetratis confirmandis, déque cæteris rebus, quadraginta capitibus comprehensis. Quæ omnia quo animo acce-

perint, mœnibus confisi suis, id ex iis liquet verbis quæ de Gedanensibus Regia Maiestas Senatoribus absentibus vndecima Februarij Bidgostię perscripsit. In primis, inquit, declarationem conditionum à nobis oblatarũ illis dedimus: grauamina quæ ipsi soli poteramus abrogare, dato priuilegio abrogauimus. Commissionis negotium, ad futurum regni conuentum reiecimus: vt de eo ex omnium regni ordinum cõsensu decernatur. Exemplum confirmationis iurium, amplissima forma, citra omnium exceptionem, illis dedimus: vt nihil superesset quod eorum animos obstinatos à præstanda fidelitate, ac relinquenda temeritate, retrahere posse videretur. His ita cõstitutis, sex dierum spatium datum est, vt Senatui & cõmunitati ea omnia videnda mitterentur. Expectati sunt ad 12 dies: quibus cunctationem hanc, certam pacem pariturã esse credebamus. Ecce autẽ Rosembergius cũ syndico aduenit: respõsum nobis attulit in quo nõ modò ea quæ pacta & responso nostro

conclusa

conclusa fuerant, inuersa sunt: verùm etiam multa alia adiecta, quę non modò dignitatem nostram, verùm etiam iura publica perstringere videbātur. Etenim ducenta millia florenorum, quæ nos nō placationis, sed debitorum regno retē-torū nomine, ab illis pacti eramus, quæ ipsi etiam tempore constituto soluere promiserant, in tempus postea longissimum & incertum transtulerunt. Contributionem accisæ abiecerunt: regalia nostra, quæ nobis à ciuitate singulis annis pendi solent, in dubium vocarunt. Commissionem abrogare autoritate solummodo nostra, extra conuentum, voluerūt: cum regno nihil se habere commune. Item alia quæ non commemoramus, scripserunt. Quid saluo conductu durante fecerint, omnibus notum est: internunciisque pacis prætextu ablegatis, nihil minùs quàm pacem in ciuitate tractarunt: hanc propugnaculis & antemuralibus extructis munierūt: militem qui dimitti debuit, auxerūt: eruptiones multas fecerūt: ex villis & domibus no-

bilium prædas egerunt: villas incenderunt· euentus vt demonſtrauerit, illos nō pacificationis, ſed ludificationis cauſam nobiſcum egiſſe. Tacemus eorum innumera in nos & Rempubl. commiſſa delicta. Iam videmus eorum animos obcæcatos, in perniciem ſuam ruere. Sed nobis Deus teſtis eſt, quòd lenis & clementis Principis officio hactenus vſi ſumus, atque curauimus vt illos ad ſanā rationique obſequentem mētem reduceremus. Nihil profecerunt hortationes, legationes, perſuaſiones, cunctationes noſtræ. Expectatum diu eſt, cū ſumma noſtra & Reipubl. indignitate: nihil eſt intermiſſum quod ad quietem publicam retinēdam pertineret. Quid igitur aliud reſtat faciendum, quàm ne nobis & Reipubl. deſimus: atque vt ſequamur & ſuſcipiamus ea conſilia quæ ratio ſuadet, & iuſtus dolor exprimit? Hæc Rex Stephanus animi erga ſuos paterni. Porrò quod reſponſum ad illorum poſtrema verba, eodem tempore à tribunali Regiæ Maieſtatis profectū ſit, operæ pre-

rę precium est his addere: vt cuiuis notũ sit, nihil Regem temerè, nihil iniquè, nihil præcipitanter egiſſe. quocum, miſſis in cuſtodiam Lencicienſem Ferbero & Roſembergio conſulibus, poſt decretũ contra omnes latum, remiſſus Lempka eſt. Proſpiciebat animo ſacra Regia Maieſtas, Dominus noſter clementiſſimus, hæc omnia quæ agerentur à Gedanenſibus impetrandis toties ſalui conductus progationibus, non aliò ſpectaſſe quàm vt rem extraherent ad hoc ipſum tẽpus, quod ad detegenda apertè nefaria ſua conſilia, magis idoneum arbitrabantur. Cuius illorum inſtituti cùm antè non parua indicia hæc eſſent, quòd in tractationibus, à leuioribus poſtulatis orſi, grauiora, quoties legatos ad ſacram Regiam Maieſtatem remitterent, indies adderent. quibus tantum abeſt vt pro patrato crimine omniũ grauiſſimo, Regiæ Maieſtati ſatisfacerẽt: vt etiam iam propè gloriando de crimine hoc admiſſo, magis magiſque offenderent. quod tamen ſacra Regia Maieſtas patienti ac

paterno animo ferebat, ac ea quæ ad iura illorum & libertates augēdas spectarent, illis concedebat, quæ non rebellibus, verùm bene meritis de Principe suo subditis deberentur: vt hac sua clementia eos ad officium reuocare posset. nihil tamen, vt videt, eos hæc benignitas mouit: cùm ad superiora postulata iniqua, hæc posteriora impia ac nefaria prorsus adiecerint, ita concepta vt iam meditatum scelus prorsus detegant, & tam Regiæ Maiestati quàm Reipubl. communi regni Poloniæ, contra iusiurandum maiorum suorum, Diuo Casimiro Regi, eiúsque successoribus ac regno datum, valedicant: nec se cum publicis regni consiliis ac ipso regno, in cuius titulum ac ius, vt maiores ipsorū iurarunt, concessissent, quidquam commune habere, impudenter & nefariè scribant. Iam verò sacra Maiestas Regia non solùm iniquitate & insolētia postulatorum in dies lædebatur: verùm etiam alio genere iniuriarum, non modò ciuitate non exonerata (iuxta formulam salui con-

ui conductus, mittendorum ad Regiam Maiestatem Oratorũ dati) externo milite, verùm etiam maioribus conductis copiis, & nobilium ac aliorum ſubditorum ſacræ Regiæ Maieſtatis vrbi vicinorum pagis ac ædibus ſpoliatis, direptis, ac etiam exuſtis. Quamobrem, cùm iam apertè conſtet, obfirmatas in ſcelere perduellium Gedanenſium mentes, humanitate ſacræ Regiæ Maieſtatis ac aliis lenioribus rationibus ad officium reduci non poſſe: aliis grauioribus ſacra Regia Maieſtas vti, pœnáſque meritas de illis ſumere neceſſe habet. Itaque decretum ſuum, quo illos perduellionis dãnauit, iam iámque publicat & promulgat: omnem ſecuritatem terra maríque illis adimit: & tanquam impiis in Principem & patriam hominibus, aqua & igni interdicit.

Bello ſic indicto, & cura illius Ioanni Zborouio, vni ex ordine Senatorio, demandata: poſteaquam Gedanenſes cognouiſſent quàm paucos milites Rex Stephanus, Grebino capto, & Sulaua

depopulata, in agro ipſorum reliquiſſet: quaſi nōdum ſatis tot malis damníſque, quæ illis rebellio attulit, afflicti: accerſenda plura eſſe potiùs quàm aliquid Regi concedendum, qui illis nihil niſi Batori eſſet: &, ſi fortuna faueret, opprimendos eſſe paucos antè quàm plures confluerent, animis obfirmatis ſtatuerunt. Iam verò ab illis qui ad Regem vētitabant, voces illæ audiebantur, poſſe ipſos, ſi modò vellent, nullo negotio noſtros obruere milites: rati idem eſſe, velle quid & facere poſſe. Rei igitur huius auſpicato aggrediundæ diu expectabāt occaſionem. Viſum eſt Paſcha percommodum, (ſeptima Aprilis fuit) quum omnes vbiuis Chriſtiani cultui diuino maximè incumbere ſolent. Confiſi ergo viribus ſuis, & Ioannis Colonienſis, ducis ſui magno pręmio ex Germania euocati, experientię: ad hęc omnibus neceſſariis ad euertenda diruendáque oppida bene inſtructi: hoc cōſilio vrbem egrediūtur crepuſculo veſpertino, vt oppreſſo milite noſtro, & Derſſauia, (Czceuū

nos

nos vocamus) in quam ſe tempore hyberno ex agro receperat, expugnata: ad Gnieuum, Nouum, Staragardum, cæteráque Regia oppida procederẽt vaſtanda. Verùm nõdum vrbe omnibus egreſſis, ea tempeſtas exorta eſt, (Deo profanatæ auguſtę diei, & Regis contemptus vindice) iíque cœli tonantis ſonitus, & fulminis ictus auditi, vt vnius propugnaculi pars auulſa, in foſſam corruerit: equus ductoris, fulgore atque fragore attonitus, ſuccubuerit: ipſe ſeſſor à ſatellitibus, quibus ſtipatus erat, ſuffultus: duo equites è põte foſſæ impoſito, in aquam profundam delapſi ſint, nec ſine labore alter extractus, alter aquis obrutus. Reducto itaque in vrbem exercitu, idem poſtera die, aliíſque deinceps ab illis tẽtatum. Sed hæc ipſorum aduerſus ſummum Pruſſiæ magiſtratum ſuſcepta cõſilia, ſemper pluuia impediebantur. Ea tamen cæcitas hominum fuit, vt adeò aperta futuræ ſtragis omina, non Deo, à cœptis eos quæ oderit dehortãti, ſed ſagarum veneficiis tribuerint: duáſque eã

ob cauſam in carcerem compegerint: ſuſpicati, à noſtris conductas procellam incantamentis excitaſſe. Armãt interim duas naues vectorias, totidémque minores, duplici via regios milites inuaſuri. Tandem 16 die menſis eiuſdem, ſole ad occaſum vergente, aduerſo flumine Viſtula, ſed ventis iuuantibus, Czeuum primùm oppugnatum contendunt. parte ab altera, tam equeſtres quàm pedeſtres cohortes emittunt. de quorum lento progreſſu Zborouius, inſignis virtutis imperator, à velitibus Struſſij, qui tũ in excubiis erant, certior factus, & quos ſæpè ad pugnam prouocaſſet, mœniaq; illorum penè attigiſſet, nunc primùm prodire miratus: procedit illis cum ſuis obuiam. locum pugnæ commodum ad pagum Rokitki prope aquas deligit, &, donec propiùs accederent, locáque aquoſa præterirent, ordinatis aciebus expectat. Subſtitere Dantiſcani ad villam Langnaw, quæ paulo plus vno miliari diſtat Derſzauia, præmiſſa ad excubias ea exercitus ſui manu, quæ maior fuit o-

mnibus

mnibus Zborouij copiis. Hîc Zborouius, memor circumſpecta celeritate nihil in bello melius eſſe: inuadendi ſecuros lætóſque conſilium capit. Sed timẽs oppido, ne interea ab hoſte nauibus egreſſo occuparetur, néue bono mutato loco, incommodiore agenda res foret: prudenter illud mutat. nec tamen in oppidum redit, veritus ciuium proditionem. nam cum Gedanenſibus facere videbantur. Diſpoſitis igitur quaquauerſum vigilibus, & miſſo cum 60 Tartaris, qui nauibus imminerent, forti viro Andrea Carchowſcio: noctem in equis cũ ſuis tranſigit. Oriente ſole, ſeptima decima Aprilis die, hoſtis appropinquare viſus, noſtris nonnihil multitudine illius perculſis. Conſpexit & Colonienſis noſtros, non abſque ſtupore: quòd pauci, quos ad ſui conſpectum fugituros putabat, tantis cum copiis venientem expectarent. Illis ergo vltra fluuiolum & lacũ editiore loco conſtitutis, noſtris ex aduerſo ſtãtibus, néue ab illa vi hominum magna circumdarentur, cauentibus: in-

cipit velitatio, duabus fermè horis ab ortu ſolis. grauis noſtris Coſakis (quos ferentarios licet ſeu velites vocemus) Germanus eques fuit, vndique armis tectus. Quibus confeſtim miſit imperator in auxilium 20 Vngaros generoſiſſimos, & Staniſlaum Iordanum manu promptum iuuenem, cum 50 equitibus. Deſcendebat in arenam ipſe quoque Coloniēſis, veluti quidam ſuorum moderator. Ciebatur ergo prelium magna animorum alacritate. ſed Germani ita curſitare, vt impetus haſtatorū vitarent, ídque vnum facerent quò noſtros illò pertraherent vbi tormenta ænea collocata erāt. Quod vbi animaduertit Zborouius, datis de vitando periculo præceptis, miſcuit haſtatis equites è peditatu ſumptos, cum tormentis longioribus. Defatigatis pugna & curſu vtriſque, ſucceſſere integri. E noſtris Zolkieuius cū turma Ioannis Zamoiski, regni Poloniæ Vicecancellarij, non minùs quàm priores alacer prodit. Vulnerati aliquot Germani: vnus equo detruſus, equus

alterius

alterius trãsfixus corruit. iam etiam duo à ferentariis anteuenientes currentibus occisi fuerant, nostris saluis. Felix prelij principium incendit spectatores ad audenda facinora maiora: equis nostrum, ad clangorem tubarum tympanorumq; sonum, adeò gestientibus, vt ab sessoribus ægrè tenerentur. Quum tali pugnæ præludio detinẽtur nostri, Coloniensis misso illo pergẽdi vlteriùs ad oppidum obsidendum consilio, postquam vidit Zborouium pugnãdi copiam haud impigrè facturum: suis vt consuleret, sæpimentum è fissis trabibus, quas secum, vt alia omnia, vehebat, facit. nihilominus tamen fermè ducẽtos, ad nostros in acie distinendos, mittit: astutè omnia: vt cuius rei bellicæ scientia, celebris in Germania sit ob defensam Magdeburgum. Igitur collocata intra illud munimentũ suorum bona parte, ipse interim cum tormẽtis, & lectissimis quibusque viris, ab altero montium latere, nostros à tergo aggressurus, ad lacum Libisseuiẽsem suis fatalem, iter intendit: ratus, vndique

comprehenſos, niſi fugerent, ſua in po-
teſtate facilè futuros. vbi iuſſus propera-
re cẽturio Rauſauius, reſpõdiſſe fertur,
lentè feſtinandum eſſe. videri enim ſibi
Polonos ad certamen magis quàm ad
fugam eſſe paratiores. Erat autem ibi in
excubiis Temrukus, expertę virtutis mi-
les, cum 50 velitibus. Qui, hoſtilem vim
imparem eſſe ſuis viribus ſentiẽs, matu-
rè ſibi ſubueniri petiit. laborantibus miſ-
ſum eueſtigio ſubſidium. Zborouius,
aſtu hoſtis deprehenſo, quid facto opus
foret, (fugere enim ignominioſum eſſe
ducebat) protinus init cum ſuis conſi-
lium. Vrgente vndique periculo, non
longa conſultationi mora data, placet il-
luc omnem equitum peditúmque glo-
bum conuertere, vbi ipſum caput ho-
ſtium foret. Quum verò noſtri vidiſ-
ſent, mutatum eſſe ab hoſtibus aptum
ad pugnam locum, (nam & alij, qui mu-
nitione continebantur, iiſdem tramiti-
bus ducem ſequebantur) adducti ſunt
in ſpem victoriæ. Proinde extemplo diſ-
iiciunt põticulum fluuiolo impoſitum,

ne ab

ne ab velitationi deditis, & intra ſæpimenta latentibus, à tergo inuaderentur. Itaque quum in illa potiſſimùm parte, quò properè tendebat Colonienſis, omnis belli vis ſita eſſe videretur: nec periculum ab nauibus, vi brachiorum vẽto aduerſo tardè tractis, oppido incumberet: Zborouius ſuis præcipit vt velitationi finem imponerent. præterea ciuium magiſtrum dubię fidei confirmat, vt, ſi quæ vis hoſtilis ingrueret, ſaltem aliquot horas bona fide obſidionem ſuſtineret: cuius rei cauſa quinquaginta pedites Polonos cum tormẽtis manuariis ei reliquiſſet, ipſe breui, hoſte Deo adiuuante ſuperato, cum pluribus affuturus. Tum admonitus ab Haidonum ductoribus, quorum tres in acie cecidere, vt prelium antè iniret quàm hoſtis ſuos ordines planè explicaret, tormenta iam diſpoſita, terra cõgeſta muniret: ficta oratione addit ſuis animos, ſpe iamiã Viſtulam traiicientis mille equitum peditúmque auxilij. orat præterea omnes, vt alij aliis offenſas condonẽt, pœniten-

Oratio Zborouii ad milites.

tia placato Deo, ſuppliciter opem illius implorent, morti gloriam anteferāt, hoſtes non numerent ſed inuadant: néue eorum conſpectu terreantur, qui breui tempore futuri ſint in ipſorum poteſtate: quòd ſuperbi, maledici, rebelles, cōtumacéſque ſint: paucis antè menſibus ad Grebinum, Glowam, & alibi ab illis
1410. profligati: olim verò ab ipſorum auis atque proauis ad quinquaginta millia cæſi, capti, fugati: omnino abſque bōbardis & munitionibus imbelles ac timidi. quod illico ipſimet experturi ſint, modò priſtinæ virtutis nominiſque ſui, à campeſtri prelio accepti, memores pugnēt viriliter pro Chriſtiano magiſtratu: Deo freti, vltore rebellionis, quem ducē habeant propitium, quíque paruis copiis, tam iuſto quàm hoc ſit bello, ingentes ſuperare ſoleat. His aliíſque iſtiuſmodi dictis, mirum in modum recreati ſunt omnes, & ad impar prelium accenſi. Dehinc Haidones, velut in rabiem verſi, (erat à meridie hora fermè prima) ab dextro latere, equites à ſiniſtro, in hoſtem,

ſtem, vbi tormenta fuere, irruunt: ſuos contra ipſum ſclopos quinquageni exonerant: haſtati ſariſſas, ferentarij venabula in oppoſitos vibrant: alij arcus manu certa tendunt. Cẽturia verò Struſſij, ſublato clamore terrorem Germanis à tergo incutit. Naſcitur pro formidine gaudium, multis ex aduerſa parte cadentibus. At ab hoſte emiſſa è tormentis iacula, perpaucis nocuerunt, haſtas non paucas confregerunt: quippe quòd equites incommodo loco cederent, pedites autem, conſpecto ardente puluere tormentario, ſupini caderent, pro mortuis ab hoſtibus habiti: rurſúſque ſclopis inſtructis, reſurgerent. Damnoſa hæc Germanis fuit carnis reſurrectio. Quibus aliquantiſper reſiſtentibus, monet Haidones moribũdus ductor ipſorum, vt, ſi vincere vellent, abiectis ſclopis victoriam retardantibus, acinacibus, tecti capita ſecuribus, rem cõminus agerent. Obſequuti monitori, manus cum hoſte acriter conſerunt, &c, adiuuãtibus equitibus, ordines conturbant, ferreorũ ho-

minum poplites ſuccidunt. Cæteri haſtis & gladiis nunc pectora tranſuerberant, nunc capita petunt. Par gentis vtriuſque virtus & gloria: par hoſtiũ diuerſarum gẽtium debilitas & formido. Aduolant & turmæ aliquot equitum, quæ ad ſuccurrendum laſſis, à prouido imperatore in proximo collocatæ erant, nequaquam aliis ſegniores. Paulo plus vna hora incerto euẽtu dimicatum. Vrgentibus noſtris ferro, equis, clamore, cadũt primores Germani, denique & alij, viri proceri ac lacertoſi, tormẽtis, in quibus illis omnis ſpes victoriæ fuit, & priuati & fruſtrati. Dein magis ac magis inſtantibus noſtris, terga vertunt reliqui, tanta feſtinatione, ac ita confertim, vt alius alium ponte detruderet. Magna pars feſtinè arma exuentes (miſeram ſpem ſalutis) ad proximum lacum tranandum conuerſi. Nimirum ea vis metus eſt, vt homo à quouis potiùs alio, quàm ab homine irato abſumi malit. Quare magnus numerus in lacu demerſorum viſus. Pars ſuo cum glorioſo duce, in lacũ

etiam

etiã impulſo, vertit ſe in fugã: noſtris eos ad tertiũ à prelio miliare (Pruſiecz ruri nomen) ſumma cõtentione perſequẽtibus, & magnas illorũ ſtrages edentibus. Non pauci mõtes, alij ſyluas Caſſubicas & Pomeranicas, effuſo curſu petierunt. Tunc illud eueniſſe viſum, quod Moſes malis prædixit: Efficiet (inquit) Iehoua vt corruas ante hoſtes tuos, & in quos vna via exieris, eoſdem ſeptẽ viis fugias: quibus in rerũ omniũ pænuria ſeruietis. illi verò imponent ceruicibus veſtris iugũ ferreũ, vſq; ad veſtrũ exitiũ. Intacti illi, equis currus trahẽtibus cõſcẽſis, profugerũt, qui extremũ agmen claudebãt. Permulti è mõtibus & ſyluis à regio milite extracti, ad imperatorem trepidi adducebantur. Poſt victoriã aiunt Haidones Zborouio, ab inclementia illos auocanti, hiſce verbis reſpondiſſe: Si nos hoſti parceremus, ille victor eodem modo quo nos nũc (quæ dicẽtes, hos è captiuis detruncabant, illos mutilabant) in te ſæuiiſſet. Fugientes perſequentium tantus erat ardor, vt ad ſignũ inclinata die rece-

ptui datũ, non nisi ducenti equites, bene cruentati, ad ducẽ oppido opẽ laturi redierint: alij pòst, cum præda sequuti. Vbi Haidonũ ductores orauit Zborouius, vt suos ad alterũ hostẽ adoriendũ cõuocarẽt. Qui, licet nõ minùs quàm equites cædẽdo defessi, noctísque prætéritæ vigilia atq; diei inedia fracti forent, tamen simul omnes præeunte Zborouio, illos qui è nauibus iã ad alteram ripã stãtes, & nuncios de victoria suorum opperiẽtes, globos machinarum muraliũ aduersus oppidũ incassum eiaculabãtur, inuadere aggrediq; cupiebãt. At hi casu suorũ, ex aduentu nostrorũ, & globis tormẽtariis contra se eiaculatis, cognito: domo, vbi traiectus est, incensa, & omni quæ in ea fuit cereuisia epota, supellectile direpta, fugere incipiũt: paululũq; prouecti, (nã vẽtus aduersabatur) se post insulã abdũt. Interim Marieburgo, ad preces Zborouij, nostris subsidio venit Stanislaus, filius Ioannis Kostkæ, pręfecti Marieburgẽsis, cũ suorũ globo, & quatuor tormẽtis telorũ: cui persequẽdi hostẽ ab illa eadem

dē ripa, datū negotiū. quod bene cœptū, non minori fortuna peregiſſet, ni & nox obſcura, & vētus ſecūdus, fugiētibus o-pē tuliſſet. Quàm autē ſalui hi quoq; do-mū reuerterint, parū liquet: illud certū, multoties à noſtris fuiſſe globis tormēta-riis petitos. Qui cladi ſuperfuerūt, capti mille, præter illos quos vicina nobilitas fugiētes cōprehēdit: aliquot ita opulēti, vt vitā multis nūmûm aureûm millibus redimere cupiāt. Vidiſſes decē, plus mi-nus, Germanos ab vno vinciri vel Polo-no vel Hungaro. vinxit & quædā mulier duos: (tātus pauor pectora illorum occu-parat) ac quodā è noſtris vincula quærē-te, protulit ſua ſpōte è ſinu captiuus: En, inquit, habes: colliga manus, vitæ parce. Occubuere in acie 4427 viri. id ex illis qui iuſſu imperatoris occiſos humabant, cognitū. In fuga cęſorū, & aquis obruto-rū, quū hęc ſcriberē, nōdū erat collectus omnis numerus: non paruus, opinor, ſi modò victus verū fateri vellet. Tędebat iā tot cadauera, quorū lacus atq; viæ ple-næ erant, terra obruere: à feris & alitibus

multa depaſta. Inuenti à veſpillonibus, ſeu duo ſeu tres, qui ad tertiã vſque à pugna diẽ, denudati vti omnes alij, morte ſimulata, inter occiſos latuerunt. rogati verò cur non interea temporis fuga vitę cõſu uiſſent, reſpõderunt, metu Haiducorũ inclemẽtiũ, qui ſibi inſtare viſi ſemper eſſent, aſſurgere auſos non fuiſſe. Signa pedeſtria quinq; adẽpta, vnũ equeſtre: idq; erat maximũ, & AVREA LIBERTAS, aureis litteris ſcriptũ habebat. Scilicet Rex eam illis eripere voluit: qui ſe omniũ iura, publica & priuata, & quã quis profiteretur religionẽ, incorruptè ſeruaturũ, ſemel ad arã ſanctè promiſit, idq; adhuc præſtitit. Tormenta ænea magna ſeptẽ: parua triginta, tribus vecta curribus, ablata: currus 150 relicti: armaturæ ter mille quingẽtæ, è ſpoliatis ad ducem cõportatæ, & tormẽta manuaria ꝑmulta: quibus iacturæ militũ cõpẽſatæ ſunt. Largitus eſt alia quoq; dona Zborouius cuique fortiſſimo: adeò munificè, vt ipſe nihil planè è prę da ſibi reliquerit, contẽtus ſola gloria, quæ illi ex re bene geſta

nata eſt: tametſi hãc etiam abs ſeſe amouẽs, ſoli Deo, à quo profectã manifeſtè videbat victoriã, & felicitati Regis ſui, triplici iã triũpho inſigni, libẽter tribuat. Quis enim, niſi impius, hoc ſolius Dei beneficio factũ eſſe non fateretur, vt bis mille viri, duodecem ſiue 14 millia hoſtiũ, profligarint, maioriq; ex parte cęciderint? Faſſus eſt hoc & agnouit pi⁹ Rex cùm illò loci veniens vbi pugna peracta eſt, hæc proferret, *Nõ nobis, Domine, nõ nobis, ſed nomini tuo da gloriã.* Regij verò milites (quod mirere) ſolùm duodeſexaginta occiſi, cẽtũ triginta vulnerati. hos intèr nõnulli, dũ tormẽtis potirẽtur, fœdè ambuſti, quòd magiſter tormẽtorũ, viſo extremo diſcrimine, dolio pulueris nitrati ignẽ iniecerit: quo ipſe vnà interiit. Horũ nomina, ni pigeret, poſſem referre: ſed breuitatis habẽda eſt ratio. Equi 38 cæſi, 65 ſaucij ac lęſi. Reperta apud pleroſq; omnes Germanos, varij generis vincula, noſtris ligãdis parata, quæ ipſorũmet brachia ſenſerũt. Ita illud verè dictũ à Solomone: Parari equũ ad pugnæ

diem, ſed Dei eſſe victoriā. Illud immanius, cōfectas ab illis fuiſſe glādes venenatas, quæ ſurſum è tormētis breuiorib⁹ (quæ duo fuere) eiectę, mortē illis adferrēt, quoſcūq; earū ſcintillæ attingerent. Faſtū porrò illorū, & ante victoriā triūphū, illud arguebat, quū ſui generis vicinos præmonerēt, maturè migrarent aliò cū precioſa quaque ſupellectile, ne quid hoſtile à milite experirētur. quorū dictis quidā oppidani territi, ſua Grudzadzū, alij aliò auehebāt. Quin etiā in ipſo procinctu, alter præbibens alteri, hic tres, quinq; ille, alius decē Polonos vinctos, vir vxori, miles amicæ, adducturum ſe promittebat, & pro vno capone pingui tres ſe captiuos daturū ſpondebat. Præter hæc, vrbe exituri, ſpectatores alloquebātur, eos ipſi quoq; comitarētur ad pugnā breuē quidē, ſed lōgæ opimæque prædæ: (perrecturos ſe vltra Derſzauiā opinati) vel ſaltē extra vrbē opperirētur reduces cū ſpoliis Polonicis atq; Vngaricis. (ita paucitas noſtrorū deſpecta ab illis fuit) Stabat ergo populus in mōtib⁹,

belli

belli euētū expectās. Primū, eūq; certū, irati numinis ciuitati nūciū carnifex attuliſſe dicitur. Nō credita res diu, mutilis curſim carnificē ſequētibus, fidē meruit. & poſſe abs Rege vinci ſuꝑbos ſubiectos, vt antè Lanſcorona, Grebinū: ita Derſzauia declarauit. Conſtās fama eſt, paulo minùs ſexcētis mulieribus Dantiſcanis hoc preliū viduitatē, nō paucioribus reor orbitatē attuliſſe. Cūq; Colonienſis in vrbē anhelus refugiſſet, hiſce illas cū eo verbis expoſtulaſſe: Redde nobis, ſceleſte, viros: redde filios, redde cognatos, quos tu nō eduxiſti, ſed ſeduxiſti: victuros, ſi intrà portas ſe cōtinuiſsēt. Js Zborouio denūciaſſe fertur, ſe deintegro fortunā belli experturum, ſumptis ſecū vrbis clauibus, ſi ſuperetur, victori tradēdis. Quod an credā ambigo, quum tāta ſit ciuiū cōſternatio, tantus mulierū & natis orborū parentū dolor atq; plangor. Addere animos poſſunt Danica, ciuitatūq; maritimarū auxilia. Et Gedanēſes quidē ita attriti ſunt, die mēſeq; eodē, ſed anni alterius, quo Stephanus Bato-

rius, primùm ex Hungaria Cracouiam (quæ Regũ ſedes eſt) ingreſſus, regnũ init. Afflicti autẽ, nõ ob ſolã diu meditatã rebellionẽ, (nõ enim temerè vrbẽ ſuam magno ſumptu & ſtudio, muris propugnaculiſq; aliquot annos firmabant) ſed etiã ꝓpter tetra de bono Rege, regnoq; ipſius, a quo Gedanũ alitur, ſcriptis ꝓdita mẽdacia, & in ipſa vrbe iactata in Regẽ cõuitia: quum Regi, qualisqualis eſt, nefas ſit maledicere: crimẽ, de altero falſũ dicere. Adeò infelix preliũ, tãtũ terrorẽ ꝑmultis incuſſit, vt clàm cũ iis quæ facilè auferri poſsũt, emigrẽt ex vrbe, (metũ illis aduẽtu in Pruſſiam fortunati animoſiq; Regis, quotidie augẽte) nec vlturi ignominiam ad tympani, aucto ſtipẽdio, triũ dierũ pulsũ, dare nomẽ militiæ alia lege quiſquã voluerit q̃ ne pugnatũ foras educatur. Ij miſſum ad ſe à Zborouio cũ litteris tubicinẽ, quib⁹ eos ad deponẽdã rebellionẽ, cuius pœnas luiſsẽt, inuitabat, interemerũt. Quibus Zborouius iratus, ꝑ obſcurũ quẽdam libertate donatũ captiuũ, denũciari iuſſit, ſe 50 ex illuſtrioribus captiuis, in ipſorũ conſpe-

ctu palis infixurũ, ni ſibi parricidas traderent. Ad hæc illi, ab irato ſuis peccatis Deo ſe punitos eſſe cõfeſſi, tradituros ſe homicidas reſcripſerũt, & ad colloquiũ cum imperatore & Ioãne Koſtka, Voiuoda Sendomiriẽſi, ſe admitti petierũt.

Habuit Zborouius, Gneſnẽſis Caſtellanus, non plures milites 2027. Prima equeſtris centuria, ipſiuſmet erat: altera, Andreæ Fierlei, Caſtellani Lublinenſis: tertia, Oſſolinij Krzeſſouienſis Præfecti: quarta, Kaſanouij: quinta, Nicolai Goſtõski: ſexta, Adami Balinij: ſeptima, Zebrzydouij: octaua, Leſniouolſcij: nona, Gnieuoſij. Staniſlai Iordani 50 ſolùm equites fuere. Ex volũtariis, Ioannes Zamoyſcius, Procãcellari⁹, 37: Hieronym⁹ Goſtõskius, 10: Staniſlaus Przyiẽskius, 16: ex aulicis autẽ regiis, Ioann. Tẽcinius Comes, Caſtellan⁹ Voynicẽſis, 50 equites habuit. (sũt Caſtellani, ſecũdi à Rege ordinis Senatores: Voiuodæ, quos Palatinos vocamus, primi) Zloſtouius 7, Iacobus Pilchouius totidẽ, Malicius 5, Bielawskius 4, Procopius Pieniazek, eques Maltẽſis, 6. Hungari 40: quorũ co-

gnomina ignota mihi ſunt: nota virtus & fortitudo. Hi omnes, num. 1132, haſtas prēlõgas, ſcuta, breues ſclopos, & gladios duplices gerebãt. Huſſarorũ nomen habẽt. Velites 215 fuerũt: quib⁹, præter acinaces, venabula, arcus, loricæ, arma sũt. 100, Struſſij, Præfecti Bratiſlauienſis: 50, Tẽruki: 30 Scythæ Regij: totidẽ Andreæ Comitis Gorkani, Caſtellani Miedzyrzecẽſis: 5, Andreę Karchowskij. Hos appellãt Koſakos: equites celerrimi. Regios Stanislaus Gizitzki etiã tũ (opinor) ducebat, miles celeberrim⁹. Pedites verò Regij, generis Hungarici & Slauonici, ſtupendæ audaciæ atq; agilitatis, 600: Haiduci patrio ſermone vocati: imperatoris, 30: Fierlei, 100: è q̃bus 50 oppidi defenſio iniũcta erat. Tormẽta campeſtria duo tãtùm: his multò minora, Hakẽ Germanis dicta, 27. Cõtrà, Gedanẽſiũ cohortes pedeſtres ſex fuerunt. Quæ erat imperatoris, viri cętera egregij, ni operã ſuã rebellibus nauaſſet, 600 viros cõplectebatur: centurionis Kleuneri 500, Lẽkæ 600, Eſterreicheri 600, Rauſawi 500, Vetſteinij 300. Equites mercenarij 400:

ciuiles totidẽ. At ciuiũ numerus, omni-
bus quaſi ad certã victoriã cupidè ruẽti-
bꝰ, cõfeſſione captiuorũ, vel 8 vel 10 mil-
lia ſuꝑabat. Vt enim diues opũ, ita popu-
loſa eſt ciuitas Gedanenſis: cuius portu
nullꝰ alius in Oceano Germanico nobi-
lior: aqua ꝓfunda, muris & aggere præ-
alto, ita munita, vt inexpugnabilis eſſe vi-
deatur. Si igitur 8 tãtùm millia oppidano-
rũ, ad excutiendũ iugũ Regiũ egreſſorũ
poſuerimus, numerus omniũ militũ 12
millia, minus 100, efficit: ſi duobus plus,
(nã captiui variãt) 14 ſunt millia. 12 igitur
viri vnũ militẽ Regiũ fugiebãt. Hæ fue-
rũt Gedanẽſiũ copiæ, ſanè magnæ: ꝗbus
freti, Magiſtratui, toti Pruſſiæ diuinitus
dato, reſiſtere voluerunt: nolle ſe vnctũ
Dei oſculari, quẽ ille præ cæteris ſeptem
cõpetitoribus delegit, oſtenderũt. Regẽ
prudentem, piũ, clemẽtem, quem alij o-
mnes reuerẽtur & amãt, ſoli infeliciter
oppugnauerunt: & (quod illi moleſtiſſi-
mum eſt) à ferendo Ruſſis contra Tarta-
ros auxilio, qui eodem tempore in Ruſ-
ſiam irruerant, auocauerunt. cuius cauſa
vt ęquior eſt, ita fortuna ſuperior futura.

Ad lectorem Germanum.

Ne, quæso, crebra Germanorũ hac in clade mentione offendare, lector. aliter enim historia scribi non potuit. Gedanenses Germani sunt: miles quoque illorum, Germanus fuit, Scotis, Vasconibus, Danis (vti accepi) admistis. Quos cùm Deus victores esse noluerit, cur me id descripsisse ægrè fers? Non alius euentus expectandus illis fuit, qui Apostolici præcepti de Rege honorando, & obedientia magistratui præstanda obliti, Regem Poloniæ (ad quem, successoresque eius, annis abhinc 123, vnà cum cæteris Prussis, metu cruciferorum Teutonici ordinis, transierunt) non modò non honorauerũt, sed apertè oppugnauerunt. quàm prosperè, docuit te historia: nullo (ita me Deus amet) Germanorum odio scripta: sed vt res gesta etiam ad posteros trãsmitteretur. Quòd verò Gedanenses, nunc hostes, nunc rebelles appello: sequor in eo prudẽtissimi Regis mei, Senatúsque, nobilitate approbante, sententiam. Et sanè manifesta est rebellio, eductis copiis, cum Domino totius Prussiæ bello contendere: qui, cùm coronaretur, leges & priuilegia æqua omniũ, se seruaturum, religiosa promissione testatus est, idémque pòst Torunij in comitiis confirmauit. Negant illi quidem verbis rebellionem esse: sed res ipsa non aliud declarat. Defensio hæc dici non potest, cùm Rex iuratus vim non faceret, sed damnatos ob contumaciam, viris, opibus, muris confisos, aduersum se ruentes reprimeret atque castigaret: à quo necessaria, non armis extorquenda, sed supplici

submissione, conditionúmque satis tolerabilium, missa omni diffidentia, acceptione, impetrãda erãt. Ita tot mala, quæ postea sensere, euitassent, sua omnia, quibus exuti sunt, quæq; nunc confracta iacent atque vastata, salua habuissent. Quos, cùm hæc secundò, æquitatem Regiam omnibus ostensurus, in lucem ederem, illustrissimi Principes Germaniæ, per legatos, Regi offenso, certis cõditionibus, tanto studio reconciliabant, vt magna iam pacis deditionisque spes esse videretur. quorum conatus adiuuet Emmanuel noster, princeps & auctor pacis inter Deum & homines. Sed nec illud ignores, lector, Io. Coloniensem, belli huius impulsorẽ, pœnas iã 24 Augusti in prelio ad Laternã maritimã, vnà cũ suis multis, dedisse: vbi & nostri, (quæ fortuna belli est) effusa ex vrbe turba, non pauci oppressi sunt. Vale, 12 Nouembr. quo die horrẽdus cometa, maiorũ prænuncius malorũ, emicuit. a. 1577.

IOACHIMI BIELSCII

Satyra in quendam Dantiscanum, qui leuibus ac ineptis suis quibusdam Germanicis rhythmis multa nefaria de Rege & regno Poloniæ scribere, & per Germaniam vbique spargere impudenter ausus est: anno Dn. 1577.

LVSTRIS tempus ad hoc actis iam penè duobus,
Omne mihi studium placidis incumbere Musis:
Nec quenquam satyra proscindere mens erat acri,
Aut mea Pasquilli defigere carmina saxo.
Primus eras, qui me candore nitere perenni
Non sinis, inuitumq; in prelia pessime trudis.
Quisquis sis, ego te Dantiscum, latro, vocabo:

Qui sacrum morsu nomen violare canino
Ausus es inuicti Regis, sanumq́; vocare,
Quo non Christiadûm toto Rex alter in orbe,
Vel pietate fuit, bello vel maior & armis.
Dignus qui furca pedibus suspensus ab alta,
Aut nigros pascas coruos, aut sectus acuto
Carnificum ferro, canibus sis esca cruentis:
Ausus Teutonicas passim tam fœda per vrbes
Plurima de nostra mendacia spargere gente:
Tanquam cum Turcis iam conspirauerit, & iam
Christiadûm multis fraudi sit Lachia regnis.
O execrandum scelus, exitioq́; piandum,
Dantiscæ plebis: quæ nedum oblita prioris
Est fidei, & Regi proprio parere recusat:
Verùm non dubitat magnum quoque stringere nomen,
Atque apud externas falsò traducere gentes.
Tu tamen hos laudas, nec adhuc periuria demens
Illorum celare potes, laudemq́; merentur
Hæc aliquam gentis sceleratæ tristia facta.
Certè Dantisci digni sunt laude rebelles:
Certè Dantisci iustè fecere rebelles:
Qui sacram rupere fidem, qui nescio quali
Pro patria, falsa pro libertate suorum,
Pro laribus patriis mortem perferre cruentam
Haud veriti, Domino sese opposuere superbi?
Vrbs quasi sola foret Prussis hæc libera: cùm sint
Complures aliæ, queis nedum iura piorum
Integra seruauit regum pius ille: sed auxit
Elbingis etiam noua, vicinisq́; Torunis.
O cæcos homines! ô indulgentia Diuûm!
Hæccine Dii patiantur agi? nec fulmine misso
Hos sæuos trudant in Tartara furua Gigantes?
Qui strauere trucem Enceladum, vastoq́; Typhoeo
Pelion & Pindum, magnæ quoque molis Olympum,
Atque Ossam excussere manu. Quæ barbara tellus,
Quæ ferat hos, & non subitò confundat hiatu?
Et Sol sit placidus tam iusto crimine læsus,

Et

Et non sacrilega currum diuertat ab vrbe?
Quamq́ Thyesteæ crudelia fercula mensæ
Periuri esse putet delicta minora Gedani?
Ad cœnam & lautæ nostros conuiuia mensæ
Inuitas? aderunt illi non multa rogati.
Vos modò Dantisci ad vestras venientibus ædes
Hospitibus vultum læti exhibeatis amicum.
Quasq́ dapes secum tulerint, gustate vicissim.
Verùm salsa videbuntur: læsumq́ palatum
Morderi multo frustra dicetis aceto.
Et choreas ducent, dederint vbi cornua lætos
Rauca sonos. quales choreas? Dantisce videbis,
Cùm magno pacem nequicquam optaueris emptam.
Nam præ lætitia saltent sic acriter illi,
Ediderint vt quot saltus, tot vestra sub vndas
Voluantur Stygias capita à ceruice reuulsa.
Vinum velle tuis apponere dicis adustum
Hospitibus. rectè: potus placet ille Polonis:
Sed quoties bibitur, miserè tractabitur hospes,
Nec propria semper residebit tutus in æde,
Custodes quos tu posuisti in limine primo.
Nec te Sauromatæ generosi, Cerbere, curant,
Tergeminis nigram rapias vt dentibus offam,
Et totidem tristem latratum faucibus edas.
Inuenietur enim Alcides qui, Cerbere, forti
Comprensum dextra superas te educat in auras.
Musica quæ resonet, quæris, sub vallibus imis?
Musica (crede mihi) nostra est gratissima genti,
Quæ Martem accendit, mentesq́ in prelia tollit.
Aurea magnanimo donari munera Costcæ
Dicis ab irato, scriptor vesane, Gedano?
Ferrea iampridem (fauet illi pectore toto)
Magnanimus (munus pro munere) Costka parauit.
Inuictum iactas ductorem. Causa fuisset
Si melior, poterat melior dux esse: sed illum
Numina iusta vetant aliquem sperare triumphum.
Esto: dogma pium Christi profitetur. eundem
Et nos amplexi sumus, atque huic fidimus vni.

Veſtibus incingi ſuades fulgentibus aurô.
Non opus eſt monitis. mos eſt geſtare Polonis
Intextas auro veſtes, oſtroq́; ſuperbas:
Sed tamen his victor minimè potietur auarus.
Aſpera multa prius turpis patiatur oportet,
Anteaquam iratis apibus mel deuoret vrſus.
Balnea non curat, patiens eſt ſolis & æſtus
Sarmata: vos ipſi hæc ſtruxiſtis balnea vobis.
Nam neque nunc primùm Dantiſci fercula nobis
Inſtruitis, quæ vos tandem conſumitis ipſi.
Ferrea iam noſtræ feciſtis vincula genti:
Vos tamen hæc collo tandem ſuſpenſa tuliſtis:
Multaq́; ſpem præter damnoſa ſuperbia veſtram
Corpora pallentem ferro demiſit ad orcum:
Sic vt lamentis, luctu, queruloq́; vlulatu
Cælum & inhumani reſonaret regia Ditis,
Tiſiphoneq́; fero quatiens vos torua flagello,
Eumenides reliquas in opem defeſſa vocaret
Sanguinea incinctas palla, & ſerpentibus atris.
Non ergo es veritus tam triſti lædere morſu,
Iratumq́; magis Regem gentemq́; Polonam
Reddere iam victæ genti: quam ſummus ab alto
Puniet elatam faſtu Rex æthere, iuſtis
Puniet (haud dubium eſt) pœnis. hic mœnia Troiæ
Neptuni fabricata manu, hic ingentia quondam
Pergama Thebanamq́; vrbem & Carthaginis arces
Eruit: hic cineri dabit euertetq́; ſuperbam
Vrbem Dantiſci veſtram, ni pectore ab imo
Ipſa ſuum doleat facinus, Regisq́; Poloni
Proiecta ante pedes, fateatur humillima culpam.
Rex pius & clemens turbæ miſerebitur vltrò
Inſontis: tamen auctores pro talibus auſis
Supremos ſcelerum mulctabit funere digno.
Et tu, quiſquis eris, iuſtas dabis improbe pœnas,
Accipiesq́; tuis æquiſſima præmia ſcriptis
Inſulſis: & erunt hæc multis ciuibus olim,
Et tibi ſacrilegæ exitio conuitia linguæ.

FINIS.

PETRI RA-
MI SVMMI PHI-
LOSOPHI ET ORA-
toris Liber,

DE MILITIA C. IV-
LII CAESARIS.

Cum Præfatione,

IOANNIS THOMAE
Freigij I. V. D.



BASILEAE,
PER SEBASTIANVM
Henricpetri.

GENEROSO DOMINO LAZARO A SVVENDY: DOMINO IN BVRCKheim, HohenLandsperg, &c. Domino Suo Colendissimo S.



VM Petri Rami, summi huius ætatis & Philosophi & Oratoris Commentarij illi de Veteri C. Iulij Cęsaris militari disciplina, de nouo in publicum æderētur, GENEROSE DOMINE: hisque patronum aliquem non modò Philosophici, sed & militaris artificij callentem ac intelligentem requiri & desiderari uideremus: nemo nobis aptior aut dignior occurrit, cui eos inscriptos nuncuparemus ac dedicaremus, quàm Tua

Generositas. Non enim modò ho-
nestarum literarum studijs & lin-
guæ Latinæ cognitione ita præ-
stas, ut etiam hominibus otiosis, in
scholis eas artes tractantibus, con-
ferri meritò possis: uerùm etiam in
re militari ita excellis, ut insigne ac
celebre nomen perpetuamq; com-
mendationem apud summos Chri-
stiani orbis Monarchas ac dyna-
stas iamdudum inde sis consecu-
tus. Indicant id res maximæ con-
tra Turcos, perpetuos Christiani
nominis hostes, sæpè fœliciter &
magno cum successu ac omni mili-
tari labore gestæ. Indicat id am-
plificatio & splendor dignitatis
præcipuæ, quam summa cum glo-
ria, familiæ tuæ intulisti. Indicat
& matrimonium, quod nuper fe-
lici

ſici auſpicio in nobiliſsima ac uetu-
ſtiſsima Cimberiorum familia con-
traxiſti : quam familiam , ſi C. Iu-
lij Cæſaris etiam tempore floruiſſe
dicam , uidear id , quodammodo
ipſo Cæſare teſte , non temerè fa-
cturus. Cum enim in libro pri-
mo belli Gallici, Sueuorum me-
minerit , quorum duces Naſua &
Cimberius duo fratres fuerint(quo
rum ille fortaſsis Naſſauienſis fa-
miliæ , hic Cimberiorum pater &
primus autor extiterit) magnam
certè occaſionem de ea re cogitan-
di nobis ſuppeditauit. Sed de his
rebus diſputent alij , qui maiore hi-
ſtoriarum cognitione ſuffulti ſunt:
ego,quod ſuſcepi,perficiam. Cum
itaque Tua Generoſitas bonarum
literarum ſtudijs ita erudita ſit, ut
 horum

horum Commentariorum artificium omnium optimè intelligere: & militaribus disciplinis ita exercitata, ut de summo milite C. Iulio Cæs. rectissimè iudicare possit: cui nam potius hanc commentationem deberi existimaremus, quam Tibi? cui eam ob causam etiam huius scripti lectionem iucundam futuram speramus, quòd eadem tyrocinia in Martis schola cũ C. Iulio Cęsare summo orbis Monarcha Te posuisse recognosces. Itaque suscipies hunc Libellum GENEROSE DOMINE, ut ab homine Tibi inseruiendi & tuæ famæ amplificandæ cupido: præsertim cùm mei studij prædem lautissimum habiturus sis nobilissimum ac clarissimum uirũ Dn. Doctorem IACOBVM

Strei-

Streithium, qui nos ad hoc officij genus aliquādo extimulauit. Deus Opt. Max. Tuam Generositatem diu seruet incolumem. Datum Friburgi Harelugorum IV. Calendas Februar. anno CIↃ. IↃ. LXXIV.


Tuæ Generositatis

Studiosiß.

Ioan. Thomas Freigius

I. V. D.

SVMMARIA DISTRIBVTIO Commentariorum de Militia C. Iulij Cæs.



A. In

CASTRA.

- A. In Castris consid.
  - Progressus agminis in castra: ubi consid.
    - Regionũ notitia ꝑ quas agmen ducẽdum est. Hic consid.
      - Interualla locorum.
      - Viarum genera, cõpendia, diuerticula.
      - Montes.
      - Flumina.
      - Duces uiarum fideles & probatio.
    - Agminis ductus: ubi cõsid.
      - Iter terrestre, ubi cõsid.
        - Agminis ordo diligentior.
        - Quantitas itineris.
        - Militaris labor in ferẽdo
          - Vallum.
          - Arma.
          - Cibaria.
      - Fluminis & maris traiectio, quæ fit 4 modis
        - Ponte. Cæsar sic Rhenũ bis traiecit.
        - Nauibus.
        - Diducto in plures alueas fluuio.
        - Vado.
  - Architectura castrorum:
    - Locus idoneus
      - Frumentationi, Pabulationi, Aquationi, Lignationi, Valetudini militum, Victoriæ si dimicandum sit.
    - Forma ex Polybio.
    - Cõstructio. Fiebant n. ꝑ legionariũ militem, qui
      - Erat artifex
        - Tentoriorum.
        - Fossarum.
        - Vallorum.
      - Faciebat castra
        - Materiando.
        - Fodiendo.
        - Aggerando.

- Castrēsis armorum meditatio & schola militaris: ubi consid.
  - Ambulatio seu decursio tyronum exercendorum gratia
  - Exercitus lustratio: ubi proponebantur
    - Præmia fortibus.
    - Supplicia ignauis, ut
      - Fustigatio.
      - Decimatio.
      - Ignominiæ causa missio.
      - Exautoratio.
  - Otij fuga.

B. In

B. In Congressu prælij consid.

- Cõmunia & generalia capita disciplinæ, ab omni casus inscitia, fortuna & temeritate seiũcta quæ Cæsarem partibus infinitis prudentiorẽ fuisse quàm fortiorem, ostendunt. Sunt aũt 4
  - *Vires copiarum & militum. Sic Cæsar si uiribus se inferiorem sentiebat: aut pugna abstinebat, aut hostiũ copias distrahebat.*
  - *Locus prælij futuri. Superiorem situ & natura Cæsar optabat: aut arte superiorem efficiebat.*
  - Ordinis ratio. Nã acies uariatur
    - Numero
      - Simplex.
      - Duplex.
      - Triplex.
      - Quadruplex.
    - Figura
      - Cuneata.
      - Quadrata.
      - Rotũda.
    - Huic cõtraria est Ordinis confusio ob hostis
      - Celeritatem.
      - Insidias.
      - Diligentiã.
  - Cohortatio, cos militaris uirtutis, cuius legem Cæsar laudat Pharsalico ꝑlio. Sine hac Cæsar nullã uictoriã reportauit. Cæterorũ aliqd aliquãdo defuit illi: sic uicit aliquando
    - Cum paruis copijs magnas, ut posterioribus bellis.
    - Iniquiore loco, ut ad Mundam.
    - Ordine nõ satis instructo, ut cõtra Neruios.
- Speciales prælij differentiæ. Est enim aliud
  - Terrestre. Vide signũ. G.
  - Nauale. Vide signum. D.

PRAELIVM TERRESTRE.



- C. Terrestre fit in Locis uel Patentibus ut sunt duo
  - Gallica
    - Heluetic[ū]: in eo laudes sunt Cæsaris
      - Ante prælium
        1. Hostium numerum amplificat, tacet suum, licet uiribus superior esset.
        2. Loco studuit superior esse: subducit copias in collem.
        3. Ordinis laus apparet: Cæsari triplex acies fuit & rotunda.
        4. Cohortatio.
      - Post prælium, fructus Victoriæ. Sapienter uictoria usus est.
    - Neruicum: quod uti factū, ita narratum à Cæsare confusissimè est. Sed capita disciplinæ sunt:
      1. Cæsar numero superior fuit.
      2. Locorum æquitas & iniquitas.
      3. Ordinis impia.
         1. Acies triplex fuit.
         2. In cornu sinistro.
         3. Duodecima legio taxata: & orbis.
      4. Cohortatio & submissio subsidiorum.
  - Ciuilia
    - Pharsalicum fama rerum & dignitate principum clarissimum.
    - Mundense.

Munitis

Munitis & clausis. Locus ergo uel


- Expugnatur uel
  - Ex itinere primo impetu.
  - Longiore oppugnatione
    - Labore in fabricādis machinis
      - Vineis agendis.
      - Aggere iaciendo.
      - Turribus ambulatorijs constituendis.
    - Tolerantia frigoris, famis, imbrium.
- Propugnatur.

D. Naual-

D. Nauale fit, sicut terrestre, cum. s. uel.

- Pateti æquore concurritur. Nauale præliū Cæs. in Galliā est
  - Venetum ubi
    - Naualis prælij instrumenta
      - Rostra nauium tanquam arietum.
      - Turres & falces.
    - Cæsaris seueritas, quali nullis in bellis usus est.
  - Britannicum lib. 4.
- Maritimæ urbes.
  - Oppugnantur.
  - Propugnantur.
  - Huc refertur. Obsessio
    - Massiliæ, ubi
      - 1 Apparatus.
        - Propugnationis.
        - Oppugnationis.
      - 2 Contentio
        - Naualis duplex.
        - Terrestris duplex.
        - Eloquentiæ, qua deprecantur culpam.
      - 3 Desperatio & deditio.
    - Alexandriæ: ubi duo naualia prælia.

FINIS.



P. RAMI, REGII ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIAE PROFESSORIS, Liber

DE C. Iulij Cæsaris militia.



ISCIPLINA rei militaris, est disciplina belli rectè administrandi, qua præ cæteris gentibus Romani floruêre, sed maximè Romanorum omnium Cæsar unus: Cæsaris igitur militiam è bellis eius præcipuè requiramus: Ea est in apparatu, castris & congressu: Apparatus belli, est in delectu & commeatu: Delectus Romanis erat legionis, unde & ipsa nomen habet. Legio primis urbis Romæ temporibus trium millium fuit (ait Varro) ac singulæ tribus Tatiensium,

Ramnium, Lucerum millia singula mittebãt: postea (ut ait Liuius lib. septimo) quaternûm millium & ducenorum peditum fuit, deinde quinis millibus peditum, trecenis equitibus cõstitit, ait idem libro octauo, & Polybius qui fuit Africani comes, non amplius quinque milli bus attribuit. Atque ad hunc numerum Cæsar tertio belli ciuilis peruenit. Cohortes (ait de Pompeio) centum & decem expleuerat, hæc e-rãt millia quinquaginta quinque: sic, inquam, eo loco Cæsar loquitur. Atqui sume pro centũ & decem cohortibus legiones undecim hisque ex ęquo diuide quinquaginta quinque millia, singulis legionibus quinque millia obueniẽt, qui legionis numerus in Cæsaris militia fuit: Ergo legio numerũ illum habuit, sed ciuium: nam alterum tantùm ex sociorum delectu adij-ciebatur, ut illo octauo libro Liuius ait: Quin auxiliorum numerũ Polybius ampliorem facit: Postea, ut Vegetius author est, legio sex millia peditum habuit & centum, equites septingentos uiginti sex, & auxilijs sociorum instructa, duodecim millia compleuit, decem peditum, duo equitum: Maior etiam legionis numerus deinde fuit: Partes legionis, cohortes appellantur, & numero decem fuêre: Sic septimo libro belli gallici Labienus quinque cohortes castris præsidio relinquit, quinque eiusdem legionis reliquas aliò proficisci imperat. Sed in hoc toto legionis numero alij præsunt, alij pa

rent: maior in principum delectu prouidentia adhibenda est: atque in huius generis quæstione, cui populus Romanus disceptator ac iudex propositus erat, quatuor ab oratore postulata commemini, scientiam rei militaris, uirtutem, authoritatem, felicitatem: quę tamen quatuor in unum cõueniunt: Scientia enim rei militaris ipsa quidem per se à cæteris scientijs distinctas rationes habet: attamen communibus prudentię fundamentis innixa ingenuarumq́; artium disciplinis instructa & ornata sit necesse est: Virtus eidem oratori est labor in negotijs, industria in agendo, celeritas in conficiendo, constãs & fortis animus in periculis, nullis uoluptatum illecebris irretitus. Atqui ea uirtus, scientiæ militaris usum exercet habitumq́; exprimit, & eam scientiam usu uirtutis habituq́; informatã authoritas & felicitas uelut umbra corpus assectantur: authoritas enim oritur è fide famaq́; multorum in cõfectis bellis & egregiorum facinorum, ut propterea facilius obtẽperetur difficiliusq́; resistatur. Felicitas autem è scientia, uirtute, authoritate nascitur: Nam qui & consilio prouidere & uirtute atque authoritate exequi poterit, huic facilè rerum euẽtus secundi ac felices erunt: rectè námque à Socrate disseritur, aurigas sapientes & nautas insipientibus fortunatiores esse: Neque nomine fortunæ temeritatem casus ullã intelligamus: hanc enim fortunam, ut postea dicetur, Cæsar

 nullam

nullam in rebus ſecundis ſibi adfuiſſe, imò nõ-nunquam in rebus aduerſis obfuiſſe profitetur: Quamobrem ſcientia rei militaris in eligẽdo duce, ſed uirtute perfectam, authoritate & felicitate comitatam requiramus, magnoq́ſtudio tales principes expetamus, idq́ perpetuò propoſitum habeamus, ut uſu periti rudibus erudiendis præficiantur: Nemo enim bene poteſt imperare, qui non antè paruerit, nec alios docere, quod à nemine didicerit: Hæc igitur in principibus deligendis conſideranda ſunt. Militares principes ſunt Imperator, ac poſt eum præcipuè Tribunus & Centurio: hos enim rei militaris magiſtros aſsiduè Cæſar exprimit. Dux ipſe, Prætor, Conſul aut eiuſmodi poteſtate à populo Romano deligebatur, ut Gallico bello proconſulari imperio delectus eſt Cæſar. Vbi duces belli ſunt electi, Tribuni militũ deliguntur uiginti quatuor: primò quatuordecim ex ijs, qui annua ſtipendia quinque fecerint, decem ex ijs, qui decem, equites quidem quatuor, pedites ſex. Ac quoniam quatuor legionibus Romana res gerebatur, quadrifariã in ſingulas legiones diuiduntur attribuunturque è iunioribus quatuor primum lecti primę legioni, tres proximi ſecundę, quatuor ſequentes tertiæ, tres poſtremi quartę: At è decem maioribus, natu duo primi primæ legioni, tres ſecundi ſecundæ, duo proximi tertiæ, tres ultimi quartæ. Ea Tribunorum diſtributio erat, tum

militum

militum delectus è singulis tribubus in singulas legiones pariter fiebat: Et tribu enim quæ prima, sorte educta sit, quatuor adolescẽtes pares ætate & corporis habitu leguntur, primus est primæ legionis, secundus secundæ, tertius tertiæ, quartus quartæ: Secundò è quatuor iterum similiter electis, primus est secundæ legionis, secundus tertiæ, tertius quartæ, & sic deinceps in orbem dum similes milites in singulas legiones è quâque tribu legantur: tum militiæ sacramentum exigitur, denique socijs ciuitatibus imperatur à duce belli numerus, militum delectu consimili. Hæc è Polybio. Tribuni uerò militum tempore Cæsaris non solùm erant comitiati & à populo delecti, sed rufuli in exercitu facti, ut ait Asconius: Itaque, cum Cęsar amicos quosdam potiùs, quam idoneos Tribunos, ut est primo libro, delegisset, ab ijs, quia non magnum in re militari usum haberent, totius exercitus perturbatio magna orta est, eóque Cæsar errorem sui delectus cõfitetur. Centurionum totis commentarijs longè frequentissima est mentio, præsertim in periculis præliorum, quorum princeps principibus seu primipili Centurio fuit, qualis est apud Cæsarem secundo, tertio, sexto libris P. Sextius Baculus egregia animi magnitudine & multis uulneribus insignis. Centuriones, castrorũ etiam metatores uidentur Cæsari fuisse: Sic Neruico bello Cæsar exploratores Centurionesq; pręmit-

rit qui locum castris idoneum deligant. Quapropter hi militaris honoris magistratus erãt, ad quos gradatim uiri fortes & militaris disciplinę periti promouerentur. De hac promotione locus est ille sexto lib. cùm ad Eburonũ Varutam nouitiæ legionis cohortes quinque à Germanis circumueniuntur. Centurionum nonnulli (ait Cæsar) ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum uirtutis caussâ in superiores erãt ordines huius legionis traducti: Sic tertio belli ciuilis Cæsar Seuam Centurionem (qui scuto ducentas triginta sagittas, ut ex foraminibus apparebat excepisset) ab octauis ordinibus ad primum pilum se traducere pronunciauit. Atque Varutensi illo tumultu (ut ait ibidem Cæsar) modò conscripti atque usus rei militaris imperiti, ad Tribunos militũ Centurionesq; ora conuertunt, quid ab his præcipiatur expectant. Hic igitur Cæsar Tribunos Centurionesq;, tyronum tanquam discipulorum magistros efficit: sic Auaricensi obsidione milites studia sua per Centuriones Tribunósque Cæsari denunciant. Quare magistrorum istorum delectus diligenter habendus est, per quos disciplina rei militaris edíscatur, contrariáq; ignauia corrigatur. Atque hic magistratuum & principum delectus esto: In priuatorũ militum delectu tria ferè considerantur, ut deligatur ciuis, robustus, in re militari eruditus: sed ciuis primùm: id enim Romanę militiæ sanctum

ctum

ctum & sacrum fuit romanis ciuibus, non tantùm principibus, sed priuatis etiam militibus Romanam ciuitatem tueri: maiore enim charitate pro aris & focis, pro cõiugibus & liberis, pro patria denique dimicatur, quàm pro quauis mercede atque pecunia. Ac disciplinę deserte seueritas totaq; disciplinæ authoritas quæ in principibus expetitur, in ciues multò promptior quàm in exteros aliјs moribus aliјsq; legibus educatos erit. Atque id (ait Liuius libro tricesimo quarto) ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminẽ ante quartum secundi belli Punici annum Romani habuerunt. Hi Celtiberi fuere qui accepere à Pœnis maiorem mercedem ut abscederẽt, quàm quantum acceperant à Romanis ut pugnarent, eaq; proditione Publ. & Cn. Scipiones eorumq; exercitus Pœnis uincendos præbuere: Itaque (ait Liuius) id quidem cauẽdum semper romanis ducibus erit, exemplaq; hæc uerè pro documentis habenda, ne ita externis credant auxilјs, ut nõ plus sui roboris suarũmque propriè uirium in castris habeant. Sic Cæsar è Gallis legiones electas habuit: sed Togatis Romanisq; municipibus & colonis: E Gallis etiam his citerioribus Alaudam illã, quam gallico nomine appellabat, instituit: sed cui ciuitatem romanam promiserat ac postea præstitit: unde etiam queritur in Philippicis, Cicero decuriam Iudicum ab Antonio factam, Auxi-

liares uerò milites deligendi fideles & ciuibus amore proximi, quales Cæsar è citerioribus Gallis Bracchatos, è Comatis Heduos, sed præcipuè Lingones & Rhemos: quales etiã è Germaniæ ciuitatibus quas pacauerat, equites & pedites Germanos habuit. Deligatur (inquã) miles ciuis, aut certè animo ciuis, deinde robustus: Cæsar enim militẽ (ait Suetonius) neque à moribus, neque à fortuna, sed tantùm à uiribus probabat: Itaque miles ex ijs legendus est, qui quotidiano opere laborem ferre didicerit, ut sunt fabri ferrarij, tignarij, lanij, uenatores: Ac si plures sunt eiusdem ciuitatis pagi, in robustissimis delectus est habendus: rectè nanque Horatius,

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces,
Progenerant aquilæ columbam.

Veteres etiam staturam in delectu militiæ exigebãt, ut Marius ferè senos pedes. At Homericum illud est notum, Tydeum paruum quidẽ, sed bellatorem fuisse, nec Cæsar militem à proceritate, sed à viribus probat. Verùm ad roboris æstimationem ætatis consideratio multò iustior est: nec enim omnis ætas ad militiæ Labores perferendum idonea est: Iuuenumq; ætas credita melior ad militares exercitationes ediscẽdum: Atque ita primùm (vt Sallustius ait) iuuentus, simul ac belli patiens erat, in castris

per

per laborem, vsu militiam discebat. Annus militaris ętatis decimus septimus fuit, quo dimissâ prætextâ togâ, virilis assumebatur: Itaq; Romanis (ait pro Cælio Tullius) olim annus erat vnus ad cohibendum brachium togâ constitutus, vt exercitatione ludoq; campestri tunicati vterentur: Eadem erat, si statim mereri stipendia cœpissent, castrensis ratio ac militaris. Florentibus igitur illis annis militia discebatur, veteranusq;, tyronum magister erat. Sic apud poëtam rex Latinus Pallantem filium Aeneæ velut armorum doctori, erudiendum tradit,

Hunc tibi præterea, spes & solatia nostri,
Pallanta adiungam, sub te tolerare magistro
Militiam & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Vacatio autem ętatis in re militari legibus Romanis etiam definiebatur, & illud est nimirum Ciceronis pro Amerino, cùm allegoriâ militari rabulas quosdam forenses arguit: Non necesse est (ait) omnes commemorare Curtios, Marios, denique Mamercos, quos iam ætas à prælijs auocabat: postremò Priamum ipsum senẽ Antistium, quem non modò ætas, sed leges pugnare prohibebant. Hunc vacationis annum Varro secundo de vita patrum quinquagesimum definiuit: & sic apud Liuium libro quadragesimo à Senatu imperatum est Petitio, vt omnes minores quinquaginta annis sacramẽto rogaret. Aliquando etiam pro Reipub. tem

 poribus,

poribus, & prætextati assumebantur & vacationibus sublatis, veterani reuocabantur. Ergo ad istum cæsariani roboris delectum, ætatis delectus habendus est: Verùm miles non tantùm ciuis & robustus, sed armis eruditus, est expetendus: id enim militiæ opus est. Enimuerò, vt liberalium artium, sic militarium studiorū schola in primis instituenda est. Atque, vt philosophus animi, sic gymnastes corporis formandi gratia est habendus, vnde postea miles optetur & eligatur: nunquam enim Respubl. certos artifices & idoneos actores præstantiū operum habitura est, nisi artium magistros, nisi discipulos habuerit: hinc omnium imperiorum fundamenta deducta sunt: quiq; rei militaris scientiâ plùs valuerunt, minùs valentibus imperarunt: Ac si quis Theologorum, Medicorum, Iurisconsultorum, Philosophorum exercitus eligendus esset, è scholis nempe earū professionum legendus esse videretur. Ergo Romæ campus Martius, schola hæc fuit, vbi Romana iuuentus ad palum omni genere armorum, & quidem veris duplo grauiorum exerceretur caput petendo, lateribus insidiando, poplites succidendo, insiliendo, resiliēdo, punctim potiùs quàm cæsim feriendo, & interim tamen assiduè sese protegendo, item iaculādo: Pars enim tyronum tertia vel quarta pilis, lapidibus, sagittis, manu, fundâ, arcu iaculandis exercebatur: Tum verò saltu, fossæ latitudi-

nem aut valli altitudinem superare: præcipuè autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat: Sic Pompeius, vt à Sallustio traditum est, cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Nec verò futuris equitibus exercitatio sua deerat, equi lignei erant in campo, vt insilire, desilire, dextrâ, læuâ, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, veros etiam equos domaret, & futuris prælijs, assuefaceret: Sic Cæsari (ait Plutarchus) equitandi vsus à puero facilis fuit: consueuerat enim reflexis & post tergum implicatis manibus equum celeriter agitare: Quinetiam equo (vt Suetonius ait) vtebatur insigni, pedibusq; propè humanis, & in modum digitorum, vngulis fissis, quem natum apud se, cùm Aruspices imperium orbis terræ significare domino pronuntiassent, magnâ curâ aluit, nec patientem sessoris alterius, primus ascendit: cuiùs etiam instar, pro æde Veneris genetricis postea dedicauit. Itaque pueris exercitatio quoque illa equestris proposita fuit, & septimo libro Cæsar, cùm Germanos equites accersiuisset, quòd minùs idoneis equis vtebātur, à Tribunis militum reliquisq; equitibus Romanis atque euocatis equos sumit: Germanisq; distribuit: Ergo bonorum quoque equorum delectus ideóque exercitatio sua est. Delegit Cæsar equites Germanos, equos non delegit, deniqueTyberis

ris Martio campo vicinus aderat, qui natando traductus, collectum exercitatione puluerem & sudorem ablueret, natationis'que solertiã, cùm necesse esset, aquam solum militibus tanquam piscibus efficeret, qua exercitatione quantum Cæsar profecerit, Hircius testis est Alexandrino bello, cùm se ex nauigio eiecit, & ad eas quæ longiùs constiterant naues adnatauit: Quod idem Suetonius magnificentiùs repetiuit, Alexandriæ (ait) circa oppugnationem põtis eruptione hostium subitâ compulsus in scapham pluribus eôdem præcipitantibus cùm desilijsset in mare, nando per ducentos passus euasit ad proximam nauem, elatâ læuâ ne belli quos tenebat madefierent, paludamentum mordicùs trahens, ne spolio potiretur hostis. Ac si quando (vt idem author ait) flumina iter morarentur, nando, vel innixus inflatis vtribus traijciebat. Sic (vt est primo belli ciuilis) procliue fuit Hispanis tranare flumen, quòd consuetudo eorum omnium esset, vt sine vtribus ad exercitum non irent. Tales igitur militaris disciplinæ meditationes Romana iuuentus habuit: & omnes vrbes ac vici festorum saltem dierũ temporibus habere possunt. Tales etiam ante regiam Latini regis fingit poëta quondam fuisse,

Ante urbem pueri & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitantq; in puluere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis

Spicula contorquent, cursuq; ictuq; lacessunt.

Atque hic delectus, legionis totius communis est: Partes verò legionis, delectum per genera militum & armorum quendam habent, eæ cohortes, vt patuit, appellantur. Prima (vt Vegetius ait) habet pedites mille centum quinque, equites loricatos centum triginta duos: reliquæ habent singulæ pedites quingētos quinquaginta quinque, equites loricatos sexaginta sex: Grauis armatura (quam πανοπλίαν Græci dicunt) gladij maioris atque minoris, pili, scuti, galeæ, loricæ, manicarum, ocrearum pediti tribuebatur. Pilum (vt Polybius describit) fuit longitudine ferè bicubitali, crassitudine digitali, spiculo palmi, sed sensim sic attenuato atque acuto, vt statim primo iactu infixum inflecteretur, nec euelli posset: Sic Heluetij compluribus scutis vno ictu pilorum transfixis, nudi pugnare coacti sunt, sicut Heluetico bello postea dicetur: Itaque telum hoc proprium fuit Romanis, nec ab hoste, si semel hæsisset, retorqueri poterat. Idem author scuti longitudinem quatuor pedibus maiorem facit, superficiem curuam, latitudine ferè tripedali, vt facilè totus miles scuto protegeretur: Itaque milites Cæsaris Alexandrino bello è ~~ponte deiecti~~, scutis tanquam lyntribus ~~alleuati ad proxima~~ nauigia adnatarunt. Gladiorum autem, hastarum & gæsorum, vt Liuius octauo libro ostendit, leuis armatura equiti, vt pediti sagitta-

rio

rio & funditori relinquebatur. Atque ita in cataphracto pedite, præcipuum legionis robur locabatur. Id militiæ Romanæ iudicium bella Cæsaris planè comprobant: grauem siquidem legionarij peditis armaturam Cæsar locis aliquot indicauit, bis certè bello Britannico, Militibus (ait quarto libro de legionario pedite) impeditis manibus magno & graui onere armorum pressis, simul & de nauibus desiliendum & in fluctu consistendum, & cum hostibus erat pugnandum. Hîc videmus peditem legionarium (equites enim alijs nauibus vehebantur) è nauibus exeuntem, manibus impeditum, scuto nempe & pilis: pressum magno & graui onere armorum, galeâ quippe loricâ, manicis, ocreis, gladio maiore & minore: quod idem quinto libro de Britannis essedarijs significatur. Intellectum est (ait Cæsar de legionario pedite) Romanos propter grauitatem armaturæ, quòd neque insequi cædentes possent, neque ab signis discedere auderent, minùs aptos esse ad huius generis hostem. His duobus Cæsaris testimonijs intelligimus grauem armaturam in pedite fuisse, ideóque leuem in equite, qui propterea gallico bello & præmittitur & ferè vincitur: sic Heluetiorum confertissimâ acie reiectus est, sic Neruiorum impetu pulsus ac perturbatus, similíque Tenctherorum & Vsipetum vi, in fugam conuersus: Nec vlla Cæsari equestris victoria contigit

git, nisi tandem per Germanos equites. Quin Heluetico bello Cæsar primum suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, vt æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prælium commisit: vnde perspicimus peditatum ad victoriam equitatu potiorem Romanis visum esse: Id, inquam, Romanorum de armis iudicium, is delectus armatorum fuit, vt peditem cataphractum equiti cataphracto longè præponerent: ideóque in legione plures sextuplo pedites, quàm equites haberent.

Bellici apparatus partem in commeatu posuimus, in quo præcipuè stipendium comprehenditur, quod tum maximè proponendum videatur, vt spe & præmio miles ille defunctus, alacrior ad militiam proficiscatur: Stipendium igitur, vt Polybius ait libro sexto, & nummo & annonâ constabat: vestis etiam addita est: Gracchus enim, vt Plutarchus author est, legem suasit de veste militibus danda sine vlla stipendij diminutione. Pedes (ait Polybius) quotidie duos obolos capiebat, id est quatuordecim denarios turonicos: tritici dimensum in mensem duas partes attici medimni, id est, bucellos parisienses tres: eques obolos quatuor quotidie, in mensem medimnos ordei septem, tritici duos: ordinum ducibus, pro loco stipendium maius. Frumentum verò militibus stipendio fuisse, Cæsar im-

primis

primis author est: sic primo libro ait, Cùm dies instaret quo frumentum militibus metiri oporteret, Heduos frumentum quod erant polliciti quotidie flagitabat. Et iterum eodem libro, Quod omnino biduum superaret, cùm exercitui frumentum metiri oporteret, & quod à Bibracte oppido Heduorum longè maximo ac copiosissimo non amplius millibus passuum octodecim aberat, rei frumentariæ prospiciendum existimauit, & iter ab Heluetijs auertit ac Bibracte ire contendit. Rei verò frumentariæ quanta cura duci esse debeat, Cæsaris exempla declarant. Heluetico bello frumentum Arare subuexerat, sed eo minùs vti poterat, quòd iter ab Arare Heluetij antè auerterant, à quibus discedere nolebat: Itaque difficultate magna propterea affectus est. Germanico bello & deinceps Belgico factus cautior, rem frumentariam diligentiùs comparauit. Obsidione Alexiæ, ne cum periculo milites ex castris egredi cogerentur, dierum triginta pabulum frumentúmque habere omnes conuectum iussit. Britannico bello tempestate afflictis nauibus cùm frumentum in hyemem prouisum non esset, in maiorem etiam difficultatem est adductus. Sed Cæsar in his periculis τέρας horribili vigilantia (vt Tullius loquitur) celeritate, diligentia fuit: ac modò in agris frumenta matura essent, id propemodum perinde imperatori

tori

tori fuit, ac si in castrensibus horreis essent Miles enim Cæsaris non tantum bellator, sed etiam frumentator erat. Itaque, ut est quinto libro, ad illius Britannici discriminis subleuationem frumentum ex agris Cæsar quotidie conferebat: è duabus legionibus quas solas habebat, alteram vicissim frumentatum mittebat. Itaque Britanni, quòd ex omnibus partibus demesso frumento, vna pars erat reliqua, suspicati legionarios Cæsaris huc esse venturos, noctu in syluis delituerunt, tum dispersos depositis armis in metendo occupatos subitò adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbarunt, simul equitatu atque essedis circundederunt. Hic locus planè demonstrat legionarios Cæsaris, frumentum manibus metere, falces'que cùm opus esset, non minus scienter, quàm enses tractare solitos. Sic septimo libro cùm à Gergouia profectus esset, frumentum'que ipsius, Hedui aut nauibus auexissent, aut flumine atque incendio corrupissent, traducto celeritate summa Ligeri frumentum in agris & pecoris copiam nactus est, eáque protinus exercitum repleuit: Nec vnquam omnino Cęsar ista difficultate superatus est: Nam si quando necessitas rei frumentariæ maior incidisset, famem tamen faciliùs quàm ignominiã ferre, Cæsarianæ militiæ fuit: Cùm Galli Gergobinam Boiorum Romanis amicorum obsiderent, Cęsar intelligebat, si maturiùs

ex hybernis legiones educeret metuendum sibi esse, ne ab re frumentaria duris subuectionibus laboraret: Præstare tamen statuit omnes difficultates, quàm tantam contumeliam perpeti: Atque in obsidione Auarici cùm Galli quoquo versùs quò ab Romanis adiri posset, vicos atque vrbes incendissent, Romanus'que miles ideò dies aliquot frumento caruisset, & pecore extremam famem sustentaret: Nulla tamen vox ab eo audita, populi Romani maiestate & superioribus victorijs indigna. Quin etiam Cęsar cùm in opere singulas legiones appellaret, & si acerbiùs inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret, vniuersi ab eo ne id faceret, petebant. Sic se complures annos illo imperante meruisse, vt nullam ignominiā acciperent, nusquam infecta re discederent: hoc se ignominiæ laturos loco, si inceptam oppugnationem reliquissent. Hæc eadem Centurionibus Tribunis'que militum mandabant, vt per eos ad Cæsarem deferrentur. Repetitur eadem militum patientia tertio belli ciuilis: Cùm Cæsar consumptis omnibus longè latéque frumentis, summis in angustijs esset, hæc (ait ipse) singulari patientiâ milites ferebāt: Recordabantur enim eadem se superiore anno in Hispania perpessos labore & patiētiâ maximū bellum confecisse. Meminerāt ad Alexiam magnam se inopiam perpessos: multò etiam maiorem ad Auaricum, maximarum se gentium vi-

ctores discessisse: Non illis ordeum cùm dare-
tur, non legumina recusabant: Pannicum ve-
rò, cuius rei summa erat ex Epeiro copia, ma-
gno in honore habebant. Est etiam genus radi
cis inuentum ab ijs qui fuerant cum Valerio,
quod appellatur Chara, quod admixtum lacti
multum inopiam leuabat: Id similitudinem
panis efficiebat. Eius erat magna copia, ex hoc
effectos panes, cùm in colloquijs, Pompeiani
famem Cæsarianis obiectarent, vulgò in eos ia
cebant, vt spem eorum minuerent, iam'que fru
menta maturescere incipiebāt, atque ipsa spes,
inopiam sustentabat, quòd celeriter se habitu-
ros copiam confidebant: crebræ'que voces
militum in vigilijs colloquijs'que audieban-
tur, priùs se cortice ex arborib. victuros, quàm
Pompeium è manibus dimissuros. Talis mili-
tum constantia in fame toleranda fuit Africa-
no bello, summa'que annonæ difficultate coa
cti veterani, milites equites'que qui multa, ter-
râ mari'que bella confecissent, & periculis ino-
pia'que tali sæpe essent conflictati, alga è litto-
re collecta, & áqua dulci elota iumentis esuri-
entibus data, vitam eorum producebant. Er-
go Cæsar milites habuit, qui stipendij solutio
nem non solùm temporis, sed famis patien-
tiâ differrent quod, imprimis propositū ijs es-
se debeat, qui se milites Cæsare imperatore di-
gnos haberi velint. Sed militem Imperatorē e-
tiam habuere, qui temporis & famis vsurā per

amplo fœnore compensaret, Legionibus (ait Suetonius) stipendium in perpetuum duplicauit, frumentum quoties copia esset, etiam sine modo mensuraq́ꝫ præbuit. Eburonum, Neruiorum, Genabensium, Auaricensiū aliorúmque innumerabilium prædam publicè militibus donauit præter eam prædam quam quisque tot victorijs habere potuit. Alexiâ expugnatâ, è captiuis toti exercitui capita singula prædæ nomine distribuit: octauo belli gallici anno, quòd hyeme summâ maximis itinerib. Bituriges oppressissent, militibus pro tanto labore ac patientia, qui brumalibus diebus, itineribus difficillimis frigoribus intolerandis, studiosissimè permanserant in labore, ducenos sestertios, Centurionibus duo millia nummûm prædæ nomine condonanda pollicetur. Denique tam cultos (ait Suetonius) habuit, vt argento atque auro politis armis ornaret, nec solùm vt Alexander argyraspides, sed chrysaspides efficeret. Quinetiam ex eadem largitione à militibus, sed astutia Cæsaris ingenio dignissima aliquando mutuatus est: à Tribunis enim militum Centorionibusq́ꝫ, vt est primo belli Ciuilis, mutuas pecunias sumpsit: has exercitui distribuit, quo facto duas res consecutus est quod pignore, animos Centurionū deuinxit & largitione, militum voluntates redemit: Sunt verè illa maiora quæ Suetonius ibidem numerat. Singula interdum prædia vi-

ritim dedit veteranis legionibus, prædæ nomine in pedites singulos super bina sestertia, quæ initio ciuilis tumultus meruerāt, in equites vicena quaterna millia nummûm dedit, assignauit & agros: Hæc verò stipendiorū genere magna quidem fuêre, sed longè maiora laudis illa atque honoris stipendia sunt habenda, quę Romanis legibus vnicuique rectè fortiter'que facto proponebantur. In concione laudari ab Imperatore, corona, torque, armilla, aut alio quopiam insigni munere donari. Sic Scæuam Centurionem Cæsar millibus ducentis ęris & cohortem ipsius duplici stipendio militaribusque signis amplissime donauit: Sic in Asiæ ciuitatibus confecto bello Alexandrino præmia bene meritis & viritim & publicè tribuit. Eiusmodi munera nempe & illa sunt initio belli Hispaniensis, quibus dandis, in Italia distinetur. Sic postridie Africani ad Thapsum prœlij re diuinâ factâ concione'que aduocatâ, milites collaudauit, totum'que exercitum veteranum donauit præmijs, ac fortissimo cuique bene'que merenti, pro suggestu tribuit. Sic eodem bello ob virtutem turmæ Cassianę donauit millia tredecim, & præfectis torques aureos duos & leui armaturæ millia decem. Atque his præmijs Cæsar tam mirificè tam'que honorificè bene meritos prosecutus est, vt cùm reprehēderetur, quòd infimi generis homines ad amplissimos honores proueheret (ait Sueto-

 nius)

nius) professus sit palam, si grassatorum & sicariorum ope in tuenda sua dignitate vsus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturũ. Eiusmodi premijs atque honoribus populus Romanus, qui tum summã imperij tenebat, suos duces multò lautiùs & magnificentiùs ornauit: hinc supplicationes tot dierum decretæ Cæsari, hinc amplissimi triumphi. Sed de militaris stipendij peculio singulare est quod à Vegetio traditur, vt ex donatiuo dimidia pars sequestretur apud signa. Sic amputato luxu, castrense peculium parsimoniâ augebitur, & miles aciem tantò minùs deseret, quantò plùs in ea sibi repositum cogitabit. Quamobrem legio in ipso delectu stipendium fructumque laborũ sibi expositum intelligat, sciátque sibi ducem, non solùm rei militaris scientiâ, virtute, authoritate, felicitate præstantem, sed munificũ & liberalem futurum: sic Legiones Cæsaris excitabis.

SECVN-

SECVNDA PARS.



ASTRIS secundam militię partem dedimus, vbi primum progressus agminis in castra, deinde architectura castrorum: denique castrensis armorum meditatio consideranda est: Atq; in progressu agminis notitia ipsa regionum per quas agmen ducendum sit imprimis necessaria est: Imperator igitur regionem (quá si iter facturus) accuratâ picturâ descriptam habeat, nec interualla locorum longitudine & latitudine tantùm descripta tabulis & depicta, sed viarum genera, compendia, diuerticula, montes, flumina, duces etiam viarum fideles & probatos. Sic Cęsar contra Ariouistum iter exquisiuit per Diuitiacũ, quòd ex alijs Gallis maximam ei fidem habebat, & vt tutius iter esset millium amplius quinquaginta circuitu, locis apertis exercitum duxit: Sic Belgico bello dat negocium Senonibus reliquisq; Gallis, qui finitimi Belgis erãt, vti quæ apud eos geruntur cognoscant, seq; de his re-

bus certiores faciant: Sic Britannico bello conuocatis ad se vndique mercatoribus, quanta esset insulæ magnitudo, quæ & quantæ nationes incolerent, quem vsum belli haberent, quibus institutis vterentur, qui essent ad maiorum nauium multitudinem idonei portus, cùm reperire non posset, ad hæc cognoscenda, priusquam periculum faceret, idoneum esse arbitratus, C. Volusenum cum naui longa præmisit, vt exploratis omnibus rebus, ad se quamprimùm reuerteretur. Suetonius etiam id amplius, Exercitum, ait, neque per insidiosa itinera duxit vnquam, nisi perspeculatus locorum situs, neque in Britanniam transuexit: nisi per se portus & nauigationem & accessum ad insulam explorasset. Exploratores autem non tantùm prudentes, sed fortes minimé que timidos esse necesse est. Pub. Considius (vt est primo libro) qui rei militaris peritissimus habebatur, quí que in exercitu L. Syllæ, & postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus premittitur. Primâ luce cùm summus mons à T. Labieno teneretur, ipse ab hostium castris non longiùs mille & quingentis passibus abesset, neque, vt postea ex captiuis comperit, aut ipsius aduentus, aut Labieni cognitus esset, Considius equo admisso, ad eum accurrit, dicit montem, quem à Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri, id se à gallicis armis atque insignibus

signibus cognouisse: Sed Considius paulò post sua timiditate Cæsari ridiculus fuit: multo enim die per exploratores reliquos Cæsar cognouit & montem à suis teneri, & hostes castra mouisse & Considium timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renunciasse. Fuit militiæ Romanæ signum Minotaurus, quo tanquam Labyrintho tecta consilia dux habere moneretur, quod in itineribus, Cæsari mirificè propositum fuit. Itaque cùm in proximo (ait Suetonius) hostis esset, itineris tempus denunciare non solebat, præcipuè pluuijs, & festis diebus: Ac subinde obseruandum se admonens, repente interdiu vel nocte subtrahebat, augebat'que iter, vt seriùs subsequentes defatigaret. Atque hoc secretæ mentis archanum indicat Hircius bello Africano, Cæsar in Africam proficiscens nullum portum sibi tutum fore perspiciebat. Itaque nullum certum locum gubernatoribus præfectis'que quem peterent præceperat, neque vt mos ipsius consuetudo'que superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat, vt in tempore his prælectis, locum certum peterent vniuersi. Hic locus consuetudinem quandam Cæsaris indicat de occultando itinere non modo hostibus, sed etiam ciuibus, cùm tabellas illas à præfectis nisi necessitate coactis perlegi vetaret. Ergo hæc regionum notitia teneatur: Agmen verò

ducitur itinere terrestri, aut flumina maria'ue traducitur: in terrestri itinere, ordo agminis, quantitas itineris, sed supra omnia militaris labor animãduertendus est: Agminis igitur ordo duobus exemplis præcipuè ostenditur: Primus est secundo libro, Cùm ex dedititijs Belgis reliquis'que Gallis complures Cæsarem secuti vnà iter facerent, quidam ex his, vt postea ex captiuis cognitum est, eorum dierum consuetudine itineris exercitus Romani perspectâ, nocte, ad Neruios peruenerunt, atque his demonstrarunt inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere, neque esse quicquam negotij, cùm prima legio in castra venisset, reliquæ'que legiones magnum spacium abessent, hanc sub sarcinis adoriri, qua pulsâ impedimentis'que direptis futurum vt reliquæ contra consistere non auderent. Hic locus ostendit agminis ordinem quendam: sed negligentiorem, quia nondum hostis adesset. Sed consequens in eodem libro locus multò diligentiorem appropinquante hoste demonstrat. Cæsar (ait ipse) æquitatu præmisso subsequebatur omnibus copijs: Sed ratio ordo'que agminis aliter se habebat ac Belgæ ad Neruios detulerant: Nam quòd hostis appropinquabat consuetudine sua, Cæsar sex legiones expeditas ducebat, post eas totius exercitus impedimenta collocarat: & duæ legiones, quæ

pro-

proximè conscriptæ erant totum agmen claudebant, præsidio'que impedimentis erant. Hic igitur locus multò maiorem ordinis curam diligentiam'que proponit: aliam similis diligentiæ speciem Hircius octauo libro descripsit. Cæsar (ait) agminis ordinem ita constituit, vt legio septima, octaua, nona, ante omnia irent impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen, quod tamen erat mediocre, vt in expeditionibus esse consueuit, cogeret vndecima ne maioris multitudinis species accidere hostibus posset, quàm ipsi depoposcissent. Hac ratione penè quadrato agmine instructo, vt omni ex parte sustinere posset hostium impetum, in conspectum hostium celeriùs opinione eorum, exercitum abducit. At si hostis à tergo relinqueretur ab eo'que discederetur, alia ratio fuit, impedimentis nempe præmissis, vt cùm Cæsar à Pompeio ad Dyrrachium duplici clade affectus esset, ideo'que illinc Apolloniam contenderet: Itaque (ait Cœsar) nulla interpositâ morâ, sauciorum modò & ægrorum habitâ ratione, impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam præmisit ac conquiescere ante iter confectum vetuit: His vna legio missa præsidio est. His explicitis rebus duas in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas eodẽ itinere præmisit: paruo'q; spatio

ſpatio intermiſſo, vt & militare inſtitutum ſer-
uaretur, & ne citiſsima eius profectio cogno-
ſceretur, conclamari iuſsit ſtatim'que egreſſus
& nouiſsimum agmen conſecutus, celeriter ex
conſpectu caſtrorum diſceſsit. Hic itaque agi-
minis ordo Cæſari fuit, quantitas itineris di-
cenda eſt. Romanis verò militiæ conſuetudo
fuit, vt Vegetius docet, ſimplici gradu horis
quinque æſtiuis, id eſt, noſtris ſex & vnâ tertiâ
progredi millia paſſuum viginti, pleno, vigin-
ti quatuor: quicquid amplius eſſet, curſus erat,
cuius ſpatium definiri non poteſt. Septimo li-
bro ſignificatio quædam è tribus locis colligi
poteſt de militaris huius itineris quantitate,
Cæſar Gergouiæ obſidione occupatus, mediâ
nocte per Eporedorigem certior factus eſt de
Heduorũ defectione: deinceps nullâ interpoſi-
tâ dubitatione è ſex legionibus, duas in caſtris
relinquit, quatuor expedit & adhortatur ne ne-
ceſſario tempore, itineris labore permoueãtur:
Cupidiſsimis omnibus, progreſſus millia paſ-
ſuum vigintiquinque, Heduos offendit, iiſq;
in colloquio, errorem ſuæ defectionis & cul-
pam demonſtrat: deinde tribus horis noctis
exercitui ad quietem datis, caſtra ad Gergo-
uiam mouet, tum in medio ferè itinere cogni-
to periculo ſuorum ad Gergouiam relictorũ,
ſummo labore militum ante ortum ſolis, in ca-
ſtra peruenit. Hæc ſic à Cęſare narrantur, vnde
concludo viginti quatuor horis quinquagin-

ta millia passuum confecta esse à legionibus il-
lis expeditis quidem sarcinarum impedimen-
to: at armorum grauitate certè impeditis: Su-
perioris enim noctis aliquot horæ consumptæ
in audiendo Eporedorige, capiendo consilio,
legionum distributione, quæ educerentur, quæ
manerent: Item consequentis diei aliquod tem
pus fuit in monendis Heduis & reconcilian-
dis: Denique militem ieiunum tot millia ijsse
ac rediisse, vix credibile sit: his tot rebus tres ho
ras accipio, tres porrò datæ sunt quieti, vt ait
Cæsar: Itaque dimidiæ noctis illius nihil super
est. Ac summum viginti quatuor horis, aut e-
tiam paucioribus, totum illud iter factum est,
quia ante solis ortum Cæsar rediit, & quidem
non ordinarium, sed propè duplicatum fuisse
Cæsar eo declarat quòd rem in celeritate posi-
tam fuisse ibidem ait, & quòd milites adhorta-
tur, ne itineris labore permoueantur: Quare
diurnum exercitus iter viginti aut viginti qua
tuor millia, vt Vegetius ait, videntur fuisse.
Sic Cæsar ad liberandum Ciceronem vno die
hyberno ab hora tertia millia passuum viginti
progreditur. Superest in agmine, militaris la-
bor prorsus admirabilis: Itaque magnos & ma
gni nominis testes huc appello, ne quid in re
propè incredibili fingere videar: Dico enim
legionario militi in itinere vsitatum fuisse fer-
re non solùm arma, sed vallum: & illud de
quod Horatius in Odis velut incredibile po-
steritati

ſteritati futurum admiratur,

Romana (eheu) poſteri negabitis
Emancipatus fœminæ
Fert uallum & arma miles.

Romanus miles fert arma, fert vallum: imò verò fert etiam (ait Tullius) cibaria, & ſi quid ad vſum velit, Noſtri exercitus (ait ſecunda Tuſculana) primùm vnde nomen habeant vides; deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre ſi quid ad vſum velint, ferre vallum: nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis eſſe dicunt: quę quidem ita geruntur aptè, vt ſi vſus foret, abiectis oneribus, expeditis armis vt membris pugnare poſsint. Hæc Tullius de ſui temporis militia. Liuius verò antea non dimidiati, ſed integri menſis cibaria militem ferre ſolitum docet: Sic enim libro quinquageſimo quarto ait, Conſul menſtruum iuſſo milite ſecum ferre, profectus decimo pòſt die. Sic Pompeiani legionarij in Hiſpania dierum viginti duorum frumentum efferre iuſsi ſunt: Eadem etiã poſtea diſciplinę ab imperatoribus ſeruata legitur. Peſcenninus Niger (ait Lampridius) vinum & piſtores à caſtris remouit, iuſsitq́; omnes aceto & buccellato (quem panem biſcoctum dicimus) contentos eſſe: Sic Iulianus (vt Marcellinus ait libro decimo ſeptimo) buccellatum in viginti

dies

dies humeris militum imposuit. Ac de legionis agmine tot sarcinis onusto indicium illud paruit in illo agminis ordine, cùm Cæsar sarcinas & onera legionum exposuit, sub quibus facilè à Neruijs opprimi posse viderentur: quomodo libro tertio Aquitani Romanos impeditos in agmine & sub sarcinis infirmiore animo adoriri cogitant: Quomodo Labienus in Africa existimabat Cæsaris milites sub onere ac sarcinis defatigatos, pugnare non posse, vt ait Hircius. Quapropter iste est incredibilis Horatio, admirabilis Tullio, agminis labor in militia, nec in bono duce minor. Cùm Marius æstu magno agmen ducebat (ait ibidem Cicero) laborabat. Memini calones & lixas & mercatores in exercitu Cęsaris fuisse, sed qui ligna & aquam vasa'que parando cibo instrumentáque castrensi operi necessaria militibus ferrent: denique (vt iam patuit) singulis legionibus sua impedimenta fuisse. Ac nonnunquam (ait Suetonius) post magnam pugnam atque victoriam remisso officiorum munere licentiam omnem passim lasciuiendi militibus Cæsar permittebat, iactare solitus, milites etiam vnguentatos bene pugnare posse. Atque illud etiam memini quod tertio belli ciuilis à Cæsare in concione ad milites dicitur vt æquo animo mancipia atque impedimenta in Italia relinquerent, ipsi expediti, naues conscenderent. Et bello Africano seueritas disciplinæ eadem

seruata

seruata est: Cæsar enim ita ex Sicilia exercitum transportauit, vt præter ipsum militem & arma, neque vas, neque mancipium, neque vllam rem quæ militi vsui esse consueuit, in naues imponi pateretur. Ita Cæsar, quum vsus esset (ait Suetonius) disciplinæ seuerissimus exactor fuit. Atque vna de Cæsaris virtutibus nescio an non sit hæc longè maxima. Laboris (ait Suetonius) vltra fidem patiens erat, in agmine nonnunquam èquo, sæpius pedibus anteibat capite detecto seu sol, seu imber esset. Nec verò temporis aut loci vlla ferè iniquitas, Cæsaris iter tardabat: Sic secundo bello Britannico noctu progreditur millia passuum circiter duodecim: & septimo libro summâ hyeme, discussâ niue sex in altitudinem pedum summo militũ labore, vias exercitui suo patefecit per Gebennam Aruernorum montem, quo tempore ne singulari quidem homini semita vnquam patuerat. Atque inde omnibus suis inopinantibus, quàm maximis potest itineribus, Viennam peruenit: vnde neque diurno neque nocturno itinere intermisso, per fines Heduorum in Lingones contendit, vt si quid etiam de sua salute ab Heduis iniretur consilij, celeritate præcurreret, priusque legiones omnes, quarum duæ in Lingonibus, duæ in Treuiris, sex in Senonibus hyemabãt, in vnum locum cogit, quàm de eius aduentu Aruernis nunciari posset. Tigam horribili vigilantia

stantia, celeritate, diligentia, exclamat Cicero. Illud etiam secundo belli ciuilis de se ait, Tarracone discedit, pedibus'que Narbonem, atque inde Massiliam peruenit: Qualis verò Imperator ipse fuit, tales & milites fuêre: hac enim militaris itineris celeritate, Pompeij legati in Hispania & Pompeius ipse in Græcia oppressus est. A' Pompeianorum & Cæsaris castris quinque millia passuum proxima intercedebant itineris campestris: Inde excipiebãt ad Iberum loca aspera & montosa: qui prior has angustias occupauerit, ab hoc, hostem prohiberi nil esse negocij.

Adhuc terrestris itineris ratio expedita est, sequitur fluminis & maris traiectio. Flumina traijciuntur modis quatuor: primò, põte, quomodo Cęsar Rhenum bis traiecit, nauium magnã copiam ad transportandum exercitũ Vbij pollicebantur, vt est libro quarto, sed nauibus neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suę, neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque & si summa difficultas faciundi pontis proponebatur propter altitudinẽ, rapiditatẽ, latitudinemq; fluminis: tamen id sibi contendendum aut aliter nõ traducendum exercitum existimabat. Rationem igitur põtis hanc instituit, tigna bina sesquipedalia, paulùm ab imo pręacuta, dimensa ad altitudinem fluminis interuallo duorum pedum inter se iũgebat. Hæc cum machinationib. immissa in flumine defi-

xerat fistucis'que adegerat, non sublicæ modo directa ad perpēdiculum, sed prona ac fastigiata, vt secundùm naturam fluminis procumberent: his item contraria duo ad eūdem modum iuncta interuallo pedum quadragenûm ab inferiore parte contra vim atque impetum fluminis conuersa statuebat. Hæc vtraque insuper bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum iunctura distabat, binis vtrinque fibulis ab extrema parte distinebātur, quibus disclusis atque in contrariam partem reuinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, vt quò maior vis aquæ se incitauisset, hôc arctiu's illigata tenerentur. Hæc directa materiâ iniectâ contexebantur, ac longurijs cratibus'que consternebantur: Ac nihilo seciùs sublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, quæ pro ariete subiectæ & cum omni opere coniunctæ, vim fluminis exciperent, & aliæ item supra pontem mediocri spacio, vt si arborum trunci siue naues deijciendi operis caussâ, à barbaris missæ, his defensoribus. earum rerum vis minueretur neu ponti nocerent. Hæc Cæsaris est descriptio, in qua certè talis architecturæ imperito quædam possint ambigua videri: Primum enim quid est tigna bina interuallo pedum duorum distantia inte se iungi? vtrum bina tigna transuersarijs intermedio duorum pedum spacio inter se colligari? an duo tigna inter se quidem cōtinuata,

à duo-

à duobus autem alijs duos pedes seiungi? Secundò quid est fistuca? vtrum machina cuius pondere tigna illa in solum fluminis adigun- tur? an qua solum fluminis fistucatur, id est, exæquatur & solidatur? Tertiò quid est quadragenûm pedum interuallum? vtrum in summo fluminis, an imo, an in pontis contabulatione? Quartò, quid est fibula? nihil verò tota pontis structura magis ambiguum fuerit: E' fibulæ siquidem formâ videtur operis firmitudo significari. Quid igitur est fibula? vtrum quadratum quoddam è firmissima materia vinculum, quo bina tigna cum media trabe reuinciuntur? an adminicula eiusmodi quibus in cruce Tau gallici transuersum lignum innititur? Denique quid est sublicas obliquas adigi? vtrum ad perpendiculum erectas contra tignorum inclinationem tanquam trianguli latera cõstitui? an transuersas ab vna parte pontis ad reliquam intersecari? Hîc doctorum hominũ ingenia sudauere. Qui verò fibulis illis firmitatem operis ostenderit, is Cæsaris mentem, opinor assequetur: E' quæsitis autem illis primum, quod'que mihi magis probatur. Sed vt ad institutum redeam, diebus decem, quibus materia cœpta erat comportari, omni opere effecto exercitus traducitur. Cęsar ad vtramq; partem põtis firmo pręsidio relicto, in Sicãbrorũ fines cotendit Sicambrisq; vexatis, decimo octauo pòst die in Galliã se recepit, pontem'q; rescidit.

 Biennio

Biĕnio postea rursus paulò supra eum locum, vt est sexto libro quo antè, exercitum traduxerat, simili ratione pontem facere instituit, magnóq; militum studio opus paucis diebus effecit: Militũ (inquam) studio, vt Cęsar ipse ait: miles enim Cęsaris non tantũ frumentator, sed tignarius etiã faber erat: non quòd omnes, architectos fuisse confirmem, sed quòd materiari & cuilibet operi materiã cędere & dolare, nec minùs laboriosè secures & dolabras expedire, quàm enses ac parmas cõsuessent. Quin etiã ista militũ architectura, vno die & Ararim põte iunxit & exercitũ traduxit. Qua celeritate permoti Heluetij cũ id quod ipsi diebus viginti ęgerrimè confecerant, vt flumen trãsirent, Cęsarẽ vno die fecisse intelligerent, legatos ad eũ de pace miserũt. Sic Menapij, cùm in paludes suas confugerent, celeriter effectis pontibus ad deditionẽ cõpulsi sunt, vt est sexto libro. Sed põtis illa ratio Hispaniensi bello tradita nequaquã prætermittenda est. Cæsar cùm ad flumen Bætim venisset, neque propter altitudinẽ fluminis transire posset, lapidibus corbes plenos demisit: illa nempe fistucatio soli fuit. Ita insuper ponte facto, copias ad castra tripartitò traduxit. Cuius pontis forma etiã dissimilis facta est Alexãdrino bello, de qua sic Hircius. Itaque eodem tẽpore equites Germani dispersi, vada fluminis quęrẽtes, partim demissiorib. ripis flumen tranarunt & legionarij magnis arboribus

excisis, quę longitudine vtramq; ripam cōtingerent proiectis, repentinoq́; aggere iniecto, flumen transierūt. Nec verò in his mathematicis pontiū operib. virtus tātum, sed dolus Cæsaris enituit. Exercitū ad Aruernorū Gergouiā secundū flumē Elauer ducebat. Quâ re cognita, Vercingetorix omnib. interruptis eius fluminis pontibus ab altera Elaueris parte, iter facere cœpit. Cùm vterq; vtriq; esset exercitus in conspectu, fereq́; è regione castris castra poneret dispositis exploratorib. nec vbi effecto pōte Romani copias traducerent. Erat in magnis Cęsaris difficultatibus res, ne maiorē ęstatis partem, flumine impediretur, quod non ferè ante autumnū Elauer vado transiri solet: Itaq; ne id accideret, syluestri loco positis castris è regione vnius eorum pontium quos Vercingetorix rescindendos curauerat, postridie cum duabus legionibus in occulto restitit: reliquas copias cum omnibus impedimentis, vt consueuerat misit demptis quibusdam cohortibus, vti numerus legionum cōstare videretur: His quàm longissimè possent progredi iussis, cùm iam ex diei tempore coniecturam caperet, in castra peruentum, ijsdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit Celeriter effecto opere legionibus'que traductis & castris loco idoneo delecto, reliquas copias reuocauit Secundus modus traducēdi fluminis, est nauib. cū Cæsar, vt est primo belli

ciuilis, in maximas rei frumētariç angustias ab Afranio adductus esset, atq; omnes viæ ab Afranianis militibus equitibusq; obsiderentur, nec pontes rescissi, refici possent, imperat militibus Cæsar vt naues faciant, cuius generis eū superioribus annis vsus Britanniæ docuerat. Carinæ primùm ac statumina ex leui materia fiebant, reliquum corpus nauium, viminibus contextum corijs integebatur. Has perfectas, carris iunctis deuehit noctu millia passuum à castris viginti duo, milites que his nauibus flumen transportat, continentem'que ripæ collē improuiso occupat. Hunc celeriter priusquam ab aduersarijs sentiatur, communit: huc legionem postea traijcit, atque ex vtraque parte pōtem institutum biduò perficit Ita commeatus & eos qui frumenti causâ processerant, tutò ad se recipit, & rem frumentariam expedire incipit. Tertius modus traducendi fluminis est eodem libro, diducto in plures alueos Sicori Hispaniæ flumine. Cæsar ne semper magno circuitu per pontē equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum triginta in latitudinem complures facere instituit, quib. partē aliquā Sicoris auerteret vadum'q; in eo flumine efficeret: Ac summo labore militū cōtinuato, diē noctem'q; opere in flumine auertendo huc iam reduxerat rē, vt equites etsi difficulter atque ægrè fiebat, possent tamen atque auderēt flumen transire: pedites verò tantum-
modo

modò humeris ac summo pectore extarent, vt tum altitudine aquę, tum etiam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur. Equites ita transeunt. Quartus modus traijciendi fluuij eodem tempore & loco à Cæsare describitur, & longè omniū promptissimus. Cùm pedites clamarent, ne Cæsar labori suo neu periculo parcerent, paratos esse sese: posse & audere ea transire flumen quà traductus esset equitatus. Quorum studio & vocibus excitatus Cæsar & si timebat tantæ magnitudinis flumini exercitum obijcere, conandum tamen atque experiendum iudicat. Itaque infirmiores milites ex omnibus cēturijs deligi iubet, quorum aut animus aut vires videbantur sustinere nō posse: Hos cum legione vna, præsidio castris relinquit, reliquas legiones expeditas educit, magnóque numero iumentorum in flumine supra atque infra constituto, traducit exercitum: Pauci ex his militibus vi fluminis abrepti, ab equitatu excipiuntur ac subleuantur: interijt tamen nemo. Sic igitur Cæsar equitibus vtrinque dispositis, peditatum incolumē traduxit: Quo genere traductionis vsus est libro septimo, vt Ligerim transiret. Liger (ait) locis ferè omnibus à Gallis obsidebatur & ex niuibus creuerat, vt omnino vado transiri non posse videretur: Itaque Cæsar admodū magnis diurnis nocturnísque itineribus cōfectis, contra omnium opinionem ad Lige-

rim uenit, vadóque per equites inuento pro rei necessitate opportuno, vt brachia modò atque humeri ad sustinenda arma liberi ab aqua esse possent, disposito equitatu, qui uim fluminis refringeret, atque hostibus primo aspectu perturbatis incolumem exercitum traduxit. In Britannia Tamesis ita traductus est, cùm capite solo, ex aqua milites extarent. Ergo hæc itineraria Cæsaris militia fuit. Pontes variorum generum Vegetius ab exercitu cõportari solitos ait. Cæsaris milites faciundi pontis artifices erant, pontes factos non vehebant, sed vbi opus erat, celeriter industrieq́ faciebant. Nec uerò flumina tantùm, sed maria ipsa huic architecturæ militari subiecta sunt: Itaque cùm primâ in Britanniam transmissione, duodecim naues Cæsar amisisset, summo iterum militum studio, earum materia atque ære reliquas refecit, Secundo in eam insulam commeatu militum architecturâ istâ sexcentas naues onerarias & longas duodetriginta exiguo tempore construxit. Ideóque id in portu contemplatus, milites collaudauit, ut est quinto libro. Atque iterum cùm naues iactarentur tẽpestate & quadraginta perijssent, reliquas in aridum ne nocturnis quidem tẽporibus ad militũ laborem intermissis subduxit. Ergo miles Cęsaris, naues faciebat, imò verò etiam remigabat. Audiamus igitur quæ libro quinto scripta sunt, Cęsar cũ iterum Britanniã

peteret

peteret longísque nauibus veheretur: tamen longiùs delatus æstu, orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit: Tum rursus æstus commutationem secutus, remis contendit, vt eam partem insulæ caperet, quà optimum esse egressum superiore æstate cognouerat. Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda qui vectorijs grauibúque nauigijs non intermisso remigandi labore, longarum nauium cursum adæquarunt. Verumenimuerò quamuis Cæsar mathematicis architecturæ Geographiæ'cp artibus tam excellenter ad itinerum difficultates eruditus: attamen nauticæ in Oceano Astrologiæ, quæ ad istam quoque itinerum notitiam attinet, inscientià extremam calamitatem penè subijt. Primò bello Britannico cùm equitum naues octodecim, in continentem tempestate essent reiectæ, accidit, vt esset Luna plena, quæ maritimos æstus maximos in Oceano efficere consueuit, Romanísque id erat incognitum. Ita vno tempore & longas naues, quibus Cęsar exercitum transportandum curauerat, quásque in aridū subduxerat, æstus cōplebat, & onerarias quæ ad anchoras erant deligatæ, tempestas afflictabat: neque vlla Romanis facultas aut administrandi, aut auxiliandi dabatur cōpluribus nauibus fractis, reliquæ cùm essent funibus, anchoris reliquísque armentis amissis, ad nauigandum inutiles, magna (id quod necesse erat

accidere) totius exercitus perturbatio facta est, neq; enim naues erant aliæ, quibus reportari possent, & omnia deerant, quæ ad reficiendas eas vsui sunt: Et quod omnibus constabat, hyemare in Gallia oportere, frumẽtum in his locis in hyemem prouisum non erat. Hæc sunt libro quarto, vbi & rebellio propterea Britanniæ exponitur, & magna Cæsaris difficultas, vt ei magnæ cuiusdam victoriæ instar fuerit, exercitum incolumem reduxisse. Sed hæc incõmoda, horribilis illa & imparatoris et militum vigilantia, celeritas, diligentia sanauit. Quamobrem toto isto militari itinere non solum magnam regionum scientiam, sed incredibiles, siue terrâ, siue flumine mariue exercitus ducatur, militiæ labores agnoscimus.

DE CASTRORVM ARchitectura.

SEd miles in castra peruenerit, quid deinde? Locus & forma constructióque tota proponitur: castris locus diligẽdus frumẽtationi, pabulationi, aquationi, lignationi, valetudini militũ, sed imprimis victoriæ (si dimicandũ sit) idoneus: Sic contra Belgas Cæsar, postquã omnes Belgarum copias in vnũ locũ coactas ad se uenire, neq; iam longè abesse ab his quos miserat exploratoribus, & ab Rhemis cognouit, flumẽ Axonam, quod est in extremis Rhemorum

rum finibus exercitum traducere maturauit, atque ibi castra posuit. Quæ res & latus vnum castrorũ, ripis fluminis muniebat, & post eum quæ erant, tuta ab hostibus reddebat, & commeatus ab Rhemis reliquisq; ciuitatibus, vt sine periculo ad eum portari possent efficiebat: In eo flumine pons erat: ibi præsidium ponit, & in altera parte fluminis Q. Titurium Sabinũ legatum cum sex cohortibus relinquit. Hic, castris delectus est valde idoneus locus: Cæsar verò castris ad dimicandum, præcipuè montes & colles appetiuit. Sic tertio libro Sabini castra loco rebus omnibus idoneo, eo'que edito & paulatim ab imo accliui circiter passus mille. Contrarium incommodum Galba libro tertio demõstrauit, qui cùm in vico Veragrorum Octoduro posito in valle, non magnâ adiectâ planitie altissimis montibus vndique concluso castra posuisset, hostibus vndique in vallem decurrentibus tela'que in castra conijcientibus, magnum periculum adijt, quo liberatus, sæpius fortunam tentare noluit, in prouinciam reuertit, confessus iniquum castris locum illum fuisse. Atque hæc de castrorum loco qui postea magis patebit: de forma etiam dicamus. Castrorum formam vnicam & simplicem omni & loco & tempore Romanis fuisse Polybius author est: nos ex eo tantum quod commune sit castris Cæsaris, assumemus: Itaque loci castris delecti regionem, vnde

sit in

ſit in omnes partes latiſsimus deſpectus imperium'que facilè percipi poſsit, prætorio ſummi'que ducis tentorio deſignato, hoc dato tanquam puncto, interuallo autem tanto quantũ exercitus requiret, quadratum deſcribito: Anguli quatuor, portæ quatuor erunt, prætoria ad orientem, decumana ex diametro oppoſita, quæſtoria ad meridiem, quintana ad occidentem. Liuius libro quadrageſimo, prætoriam videtur appellare ordinariam, quintanã & decumanam principales, illam dextram, hãc ſiniſtram. Tentoria legatorum à prætorio hinc atque illinc ſecundùm quadrati dimetientem, latera duo oppoſita bifariam ſecantem, æqualibus ſpacijs ſunto, iuxta'que ad partem aquationi & pabulationi aptiſsimam legionis cuiuſque cum ſuis Tribunis & Centurionibus diſtincta vijs & directa ſunto: ad oppoſitam reliqui quadrati partem regia intercedente via, legionum equites atque inter eos media ſociorum auxilia ſtatuito: à legionũ tentorijs ad vallum area parallela quadruplex eſto: prima vacua ad excipiendum extraordinarios qui caſu aduenerint: ſecunda latior foro rerũ venalium cõſtituta, reliquę duæ totis caſtris parallelo ſpatio circunductæ, tertia quidem anguſtior, quarta latior, vallo velut vrbis muro, pomerij vice adiuncta: denique caſtra ſpeciem notiſsimæ vrbis habeant, vbi vijs, ædificijs, ſignis, omnia ciuibus rure domum redeuntib. definita ſint, vt

simul atque ad castrorum portam miles accesse rit, sciat quò sibi perueniendũ sit: Sic enim Polybius & Liuius docent. Cæsar tamen lunatis castris Thapsum (vt est Africano bello) operibus circummuniuit. Vegetius triquetrã & semirotundam formam nominat, vtrum hãc lunatam figurã significans, affirmare non audeo: iubet'que vallum vestiri cespite cum terra ipsa herbam continente, altitudine dimidij pedis, latitudine pedis, longitudine sesqui pedis: Si regio sit arenosa, saccos more persico puluerulenta terra compleri cespitis loco iubet: Valli fossæ'que etiam formam tradit, sed variè: vigilias noctis quatuor, ternis horis distinguit: Eiusmodi castrorum formam tam subtiliter, à Cæsare notatam non comperio: sed illud certè, quod multò maximum omnium est, à legionibus vt antea pontes & naues, sic & quidem multò pluribus testimonijs castra fieri solita comperio. Dico (inquam) atque confirmo, materiando, fodiendo, aggerando Romana castra facta esse per certam peditum legionariorum partem sarcinis & grauioribus armis ad signa depositis, dum reliqua pars exercitus cum leui armatura staret in armis ad hostem, si forte interueniret, propulsandum: Castrensis igitur architecturæ opera militaria videamus. Cæsar ad quintum Calendas Aprilis Geneuam peruenit, ibi vna legione & militibus quos ex prouincia conuenire iussit, à lacu Le-

mano ad montem Iuram millia passuum decẽ & nouem, murum in altitudinem pedem sexdecim fossam'que ante Idus Apriles perduxit. Fac Cæsarem Româ octaua die (vt Plutarchus ait) Geneuam peruenisse: mirabile tamen sit septem reliquis diebus & milites coëgisse & tantum opus effecisse. Nullus verò Cæsaris commentarius est non testis huius militaris architecturæ. Eodem libro contra Ariouistum Cæsar primam & secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit. Ac quamuis eò magnas interea copias Ariouistus ad munitionẽ prohibendum misisset, nihilo seciùs Cæsar, vt antè constituerat, duas acies hostem propulsare, tertiam opus conficere iussit. Vides'ne igitur legionarium fossorem? Audi quid Neruico bello faciant sex legiones. Legiones (ait Cæsar) sex quæ primæ venerant, opere dimenso, castra munire cœperunt, paulo'que longiùs aggeris petendi caussâ processerunt. Sic quinto libro milites lignationis munitionis'que caussâ in syluas discedunt. Ergo fodere, ergo materiari, ergo castra fabricari & architectari legionarijs militibus, militare opus fuit Sed fossæ latitudo valli'que altitudo à Cæsare nonnunquã etiam notatur, vt secundo libro aduersus Belgarum maximas copias castra in altitudinem pedum duodecim vallo fossa'que duodeuiginti pedum munire iubet, Vides hîc tãquam vrbis,

atque

——atque altæ mœnia Romæ?

Sic octauo libro Cæsar imperat castra vallo pedum duodecim muniri, loriculam, velut alterũ vallum pro hac ratione eius altitudinis inædificari, fossam duplicem, pedũ quinûm denûm, lateribus directis deprimi, turres crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum pontibus traiectis constratisq́ue coniungi, quorum frontes viminea loriculâ munirentur, vt hostis à duplici propugnatorum ordine depelleretur, quorum alter ex pontibus, quò tutior altitudine esset, hoc audaciùs lõgiusq́ue tela promitteret, alter, quò propior hostem in vallo collocatus esset, ponte ab incidentibus telis tegeretur, portis fores altioresq́ue turres imposuit: Huius munitionis duplex erat consilium: námque & operum magnitudine, & timorem suũ sperabat fiduciam barbaris allaturum, & cùm pabulatum frumentatumq́ue longiùs esset proficiscendum, paruis copijs castra munitione ipsa videbat posse defendi. Sed callidiore consilio castra aduersus Afranium (vt est primo belli ciuilis) Cæsar facere constituit, ne in opere faciendo milites repentino hostium incursu exterrerentur atque opere prohiberentur, vallo muniri vetuit, quod eminere & procul videri necesse erat, sed à fronte castrorum contra hostem pedum viginti, fossam fieri iussit: prima & secunda acies in armis, vt ab initio constituta erat, permanebat. Per hos, opus in

occulto

occulto acies tertia faciebat: sic omne prius est perfectum, quàm intelligeretur ab Afranio castra muniri. Sub vesperum Cesar intra hãc fossam legiones reducit, atq; ibi sub armis proxima nocte cõquiescit. Postero die omnem exercitum intra fossam continet, & quod longius erat agger petendus, in præsentia similem rationẽ operis instituit, singulaq; latera castrorum singulis attribuit legionibus munienda, fossásque ad eãdem magnitudinem perfici iubet, reliquas legiones in armis expeditas contra hostem constituit. Tertio die postea vallo castra communit. Ergo castrorum forma à Cæsare & facta & descripta eiusmodi est: Militem tamen in hoc opere castrẽsi sarcinis & grauioribus armis expeditum fuisse, quod antea posui, Cæsaris varij loci demonstrant: primus est libro secundo cùm sex legiones in faciendo opere occupatæ tam subitò à Neruijs opprimerentur, vt non modò ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas scutis'que tegumẽta detrahenda tempus defuerit. Hic, inquam, locus ostendit insignibus & galeis, & scutis positis munitionem castrorum fieri solitam. Idem libri tertij locus ostendit de Morinis in syluas abditis, Cùm Cæsar castra munire instituisset, neque hostis interim visus esset, dispersis in opere Romanis, hostes subitò ex omnibus partibus syluæ euolauerunt & in Romanos impetum fecerunt: Romani celeriter

arma

arma cœperunt, eosq́; in syluas repulerũt. Hic locus alter item ostendit faciendis castris arma grauiora poni solita, sicut iam dictũ est in frumentatione, cúm Britanni dispersos legionarios depositis armis in metendo occupatos adorti sunt: illic enim arma in frumentatione deposita dicuntur. Tentoria veró castrensia, pellicea fuisse locus ille tertij libri demonstrat: Eiusmodi tempestates sunt consecutæ, vt cõtinuatione imbrium diutiús sub pellibus milites cõtineri non possent. Item alter ille tertio belli ciuilis, Cæsar castris ad Apsum flumẽ positis sub pellibus hyemare constituit. Denique tertius locus ille docet idem Africano bello, Quibus rebus attenuati, oppido perquam pauci sub pellibus acquiescebant, reliqui ex vestimentis tentoriolis factis atque arundinibus corijsq́; contextis protegebantur. Sed tota hæc castrensium munitionum opera, locorum oppugnatione & propugnatione postea longè pleniús intelligentur, id modó statuo, legionarium militem tentoriorum, fossarum, vallorum opificem ex disciplina Romana & Cæsariana fuisse: neque laboribus illis fractum fuisse aut debilitatum, sed exercitatum robustioremq́; factũ, vt præ tantis & agminis & castrensis munitionis laboribus, scutum, gladium, galeam ferre, in onere is miles non plus numeret, quàm humeros, lacertos, manus, præq́; ijs operibus prœliari leuissimum, imò iucũdissimum existimet.

Romanus (eheu) posteri negabitis, (ait ille)
Fert uallum & arma miles.

At verò, inquam, vt quod proposui concludam,

Romanus (eheu) posteri quid agimus?
Materiando, fodiendo, aggerando castra fecit.

DE AMBVLATIONE.

VErùm esto, miles arma ferat, vallum ferat, cibaria ferat, & si quid ad vsum sit, ferat, castra materiando, fodiendo, aggerãdo faciat: Abiectis illis oneribus expeditum armis tanquam membris alacrem ad prælium videamus: tyrones quidem quotidie & manè & à meridie, omnibus armorum generibus in hoc castrensi campo exerceantur, veterani semel: (has enim leges Vegetius à veteribus institutas tradit) Hostis nullus adest? adesse tamen comminiscamur, aciem instruamus: & si non dimicatum, attamen veluti dimicationis caussa ambulatum deducamus. Augusti atque Adriani constitutionibus (ait Vegetius) cautum erat, vt ter in mense tam equites quàm pedites educerentur ambulatum: Hoc enim verbo genus huius exercitationis appellabant. Decem millia passuum miles armatus gradu illo militari, quem diximus, eat redeat'que, sed magnam partem itineris pleniore gradu, maximam cursu conficiat, interim'que quemlibet aciei ordinem meditetur: Atque in sum-

na ordinum permistione, miles ordinem tamen sequatur, vexillum nusquam oculis amittat, neque planis tantùm locis hæc itinera, sed cliuosis & arduis fiant, vt nulla non prouisa difficultas posit accidere, aut si ambulatio nulla sit exercitatio tamen nusquam desit, miles syluam cædat, æstiuis temporibus natet, ad palum dimicet, saltet, currat. Exercitationis huius exempla apud Liuium frequentia sunt: sic enim libro tricesimo tertio de Sempronio, Ibi, quia ociosa castra erant, crebrò decurrere milites cogebat, vt tyrones assuesceret signa sequi & in acie cognoscere ordines suos. Et libro tricesimo sexto de Scipione Africano, Primo die legiones in armis quatuor millium spacio decurrerunt, secundo die arma curare & tergere, antè tentoria iussit, tertio die sudibus inter se in modum iustæ pugnæ concurrerunt, præpilatis'que missilibus, iaculati sunt, quarto die quies data, quinto iterùm in armis decursum est. Sed Cæsarianam militiam recepi & exercitationis huius exempla apud Cæsarem clara sunt, Superius institutum Cæsar (vt est tertio belli ciuilis) in equitibus seruabat, vt quoniam numero multis partis partibus esset inferior, adolescẽtes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites præliari iuberet, qui quotidiana consuetudine vsum quoq; eius generis preliorum perciperẽt. His erat rebus effectum vt equites

mille, apertioribus etiam locis, septem millibus Pompeianorum impetum, cùm adesset vsus, sustinere auderent, neque magnopere eorum multitudine terrerentur. Exempla huius scholæ multò clariora sunt Africano bello, cùm paruas copias haberet Cæsar & magnam quidem partem tyronum. Cæsar (ait Hircius) iubet milites rursus ad opus redire & per caussam munitionum, tyrones in labore defatigare non intermittit. Simile deinde paulò pòst, Cæsar non more superiorum Imperatorum, in hybernis exercitum continebat, sed in tertio quartoque die procedendo, propiusque hostem accedendo, castra communiebat, opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem. Tum deinceps, Cæsar interim quotidie legiones in campum deducere atque opus facere, vallumque & fossam per medium campum ducere, aduersariorumque excursionibus officere non intermittit. Scipio item munitiones contra facere, & in iugo, ne à Cæsare excluderetur, approperare. Ita duces vtrique & in operibus occupati erant, & nihilominus equestribus prælijs inter se quotidie dimicabant. Sed eodem demum libro schola totius meditationis huius cõtra nouos hostes egregia est, Cæsar contra eiusmodi hostium genera copias suas non vt Imperator exercitum veteranum victoremque maximis rebus gestis, sed, vt lanista tyrones gladiatores

con-

condocefaceret, quo pede ſe reciperent ab hoſte & quemadmodum obuerſi in aduerſarios & in quantulo ſpacio reſiſterent, modò procurrerent, modò recederent comminarentur'que impetum, ac prope quo loco & quemadmodũ tela mitterent præcipit. Mirificè enim hoſtium leuis armatura anxium exercitum Cæſaris atque ſolicitum habebat, quia & equites deterrebat prælium inire propter equorum interitum, quòd eos iaculis interficiebant & legionarium militem defatigabant, propter velocitatem: Grauis enim armaturæ miles ſimul atque ab his inſectatus conſtiterat in eos'que impetum fecerat, illi veloci curſu facilè periculum vitabant. Quibus ex rebus Cæſar vehementer commouebatur: quia quodcunque prælium quoties erat commiſſum, equitatu ſuo ſine legionario milite, hoſtium equitatui leui'que armaturæ eorum nullo modo par eſſe poterat. Solicitabatur autem his rebus, quod nondum legiones hoſtium cognouerat, & quo'nam modo ſuſtinere ſe poſſet ab eorum equitatu leui'que armatura, quę erat mirifica, ſi legiones quoque acceſsiſſent. Accedebat eò etiam hæc cauſa, quòd elephãtorum magnitudo multitudo'que, militum animos detinebat in terrore. Cui vni rei tamen inuenerat remedium: Nam'que elephantos in Italiam trãſportari iuſſerat, quò & Cæſaris miles ſpeciem & virtutem beſtiæ cognoſceret, & cui parti corporis eius, telum fa-

cilè adigi posset oneratus'que ac loricatus elephantus cùm esset, quæ pars corporis eius nuda sine tegmine relinqueretur, vt eò tela conijcerentur: Præterea vt iumenta, bestiarum odorem, stridorem & speciem, consuetudine captarum, non reformidarent, quibus ex rebus largiter erat consecutus: Nam & milites, bestias manibus pertractabāt, earum'que tarditatem cognoscebant, equites'que in eos pila præpilata conijciebant, atq; in consuetudinem, equos ipsarum bestiarum adduxerant. Ob has causas quas suprà commemoraui, solicitabatur Cæsar, tardior'que & consideratior erat factus, & ex pristina bellandi consuetudine celeritateq; excesserat. Nec mirum: copias enim habebat in Gallia bellare consuetas locis campestribus, & contrà, Gallos homines apertos minimé. que insidiosos, qui per virtutem, non per dolum dimicare consueuerunt: Tum autem erat ei laborandum, vt consuefaceret milites, hostium dolos, insidias artificia'que cognoscere, & quid sequi, quid vitare cōueniret. Itaq; quo hæc cælerius conciperent, dabat operam vt legiones non vno loco cōtineret, sed per causam frumentandi huc atque illuc raptaret, ideo quod hostium copias à se suo'que vestigio non discessuras existimabat: atq; post diem tertium productas accuratiùs suas copias, sicut instruxerat, præter hostiū castra prætergressus, equo loco inuitat ad dimicandum. Hac totâ Hir-

eij historiâ mirificum Cæsaris magisterium in tyronibus erudiendis agnoscimus. Atque in hac castrensi schola exercitus lustratio fuit, quâ tanquam in Romani census lustro, cuiusque peditis equitis'que virtus aut ignauia pro meritis afficiebatur: Sic Cæsar in Treu:rorum finibus cùm eò legiones ex omnibus hybernis euocasset, exercitum anno belli Gallici nono lustrauit: Sic iterum Africano bello lustrauit: Ac præmia illa de quibus antè in stipendio diximus, in castris data sunt: supplicia etiam in milites ignauos aut seditiosos cõstituta sunt, quæ militaribus delictis grauia erant. Si quis furatus esset, aut præmij consequendi gratiâ peierasset, aut locum in acie deseruisset aut in vigilijs dormitasset, aut adolescentis ætate ac flore abusus esset, fustibus cædebatur ac lapidibus obruebatur (ait Polybius) Et illud nimirum Ciceronis est in Philippicis, Si Antonius Consul, fustuarium meruerunt legiones quæ Consulem reliquerunt. Si totus exercitus vel magna pars deliquisset, sorte decimus quisque ad supplicium legebatur, vt ostendit Liuius libro secundo: Decimatio illa nempe fuit, de qua ꝓ Cluentio Tullius, Statuerunt ita maiores nostri, vt si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret: Sic igitur decimus quisque plectebatur, reliquis extra vallum agentibus,

annona ordeum tantùm erat, donec egregio facinore satisfactum videretur: Hæc autem seueritas Romanis illis Imperij authoribus tanta fuit, vt Posthumius & Torquatus filios, quia patrum iniussu contra hostem ierant, quamuis victores & hostium spolijs opimos: tamen securibus percusserint, ipsi'que naturæ ac patrio amori ius maiestatis atq; imperij prætulerint. Ac Cæsar (ait Suetonius) militem pari seueritate atque indulgentiâ tractabat, non enim vbique nec semper, sed cùm hostis in proximo esset, coërcebat: Tum maximè exactor grauissimus disciplinæ delicta neque obseruabat omnia, nec pro modo exequebatur, sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor ac punitor acerrimus, conniuebat in cæteris: Itaque duabus cladibus vno die acceptis, vt est libro tertio belli ciuilis, Cęsar habita cõcione, nõnullos signiferos ignominiâ notauit ac loco mouit: Sic Africano bello, præfectos quosdam (quorum negligentiâ, militum nauis amissa esset) ignominiæ caussâ dimittendos ab exercitu, grauissimum'que in eos edictum proponendum, curauit. Ac eodem bello exemplũ illud est exauthorandi militis in pœnam maleficij cõmissi cùm nona & decima legiones è Sicilia in Africam exponuntur: His enim legionibus expositis, Cæsar (ait Hircius) memor in Italia pristinæ licentiæ militaris ac rapinarum certorum hominum, paruulam modò caussulam nactus,
quòd

quód C. Auienus Tribunus militum decimæ legionis, nauem commeatu familia'que sua atque iumentis occupauisset, neque militem vnum à Sicilia sustulisset, postero die de suggestu conuocatis omnium legionum Tribunis Centurionibus'que, Maximè vellem (inquit) homines suæ petulantiæ nimiæ'que libertatis aliquando finem fecissent, meæ'que lenitatis, modestiæ: patientiæ'que rationem habuissent: Sed quoniam ipsi sibi neque modum, neque terminum constituunt, quo cæteri dissimiliter se gerant, egomet ipse documentum more militari constituam. Quapropter C. Auiene, quòd in Italia milites populi Romani contra Rempublicam instigasti, rapinas'que per municipia fecisti, quod'que mihi rei'que publicæ inutilis fuisti, & pro militibus tuam familiam iumenta'que in naues imposuisti, tua'que opera militibus'que tempore necessario Respub. caret ob eas res ignominiæ caussâ ab exercitu meo te remoueo, hodie'que ex Africa abesse, & quantum potes proficisci iubeo. Itemq; te A. Fontei, quòd Tribunus militū seditiosus malusq; ciuis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Alliene, M. Tiro, C. Clusiane, cū ordines in meo exercitu beneficio non virtute consecuti ita vos gesseritis, vt neq; bello fortes, neque pace boni aut vtiles fueritis, & magis in seditione concitandis'que militibus aduersariorum nostrorum imperatoris, quàm pudoris modestiæq;

fueritis studiosiores, indignos vos esse arbitror qui in meo exercitu ordines ducatis, missosq; facio, & quantum potestis, abesse ex Africa iubeo. Itaque tradidit eos Centurionibus, & ad singulos non amplius singulis additis seruis, in nauim imponēdos separatim curauit. Quid plura: miles in castris nunquam otiosus sit: hac enim quotidiana exercitatione fiet, vt nihil magis optet, quàm prælium, nihil seditionis moueat. Sic Cæsar cùm hostibus appropinquaret, disciplinæ exactor grauissimus erat: et tamen aliquando exercitationis huius negligentiâ, maximam totius exercitus perturbationem euitare non potuit, de qua sic est libro primo, dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariæ commeatus'que caussâ moratur, ex percunctatione Romanorum vocibus'que Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos incredibili virtute atque exercitatione in armis esse prædicebant, sæpenumerò sese cum his esse congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse, tantus subitò timor omnem exercitum occupauit, vt non mediocriter omnium mentes animos'que perturbaret. hic primùm ortus est à tribunis militum ac præfectis, reliquis'que qui ex vrbe amicitiæ caussâ Cæsarem secuti magnum periculum miserabātur, quod non magnum in re militari vsum habebant, quorum alius alia caussâ

illata quàm sibi ad proficiscẽdum necessarium esse diceret, petebat, vt eius voluntate discedere liceret: nonnulli pudore adducti, vt timoris suspicionem vitarent, remanebant, hi neque vultum fingere, neque interdum lachrymas tenere poterant, abditi in tabernaculis aut suum querebantur fatum, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur, vulgò totis castris testamẽta obsignabantur: horum vocibus ac timore paulatim etiam hi qui magnũ in castris vsum habebant, milites Centuriones'que, qui'que equitatui præerant, perturbabantur. Qui se ex his minus timidos existimari volebant, non se hostem vereri, sed angustias locorum itineris & syluarum magnitudinem quę intercederent inter eos atque Ariouistum aut rem frumentariam vt satis commodè supportari posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Cæsari renunciabant, cùm castra moueri, & signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites neque propter timorem signa laturos. Sed hanc perturbationem Cæsar eloquentiâ sustulit, partim spem pacis ab hoste, atque etiam si obstinatus esset, victoriæ demonstrando. Cùm Germani sæpè, victi essent à Romanis atque etiam à Gallis, quos tamen Romani vicissent, partim militum ignauiam & arrogantiam accusando, qui de Imperatoris sui virtute, constantia, consilio atque officio quærerent: denique militiæ desertoribus

supplicium illa ipsa authoritate & seueritate, de qua paulò antè dixi, minitando: Postremò quod in longiorem diem collaturos fuisset, repræsentaturum esse, & proxima die de quarta vigilia, castra moturum, vt quamprimum intelligere posset, vtrum apud eos pudor atque officium, an timor plus valeret. Quod si præterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret sibi'que eam prętoriam cohortem futuram: Huic legioni Cæsar & indulserat pręcipuè, & propter virtutem confidebat maximè: Itaque illa Cæsaris oratione mirum in modum conuersæ sunt militum mentes, & magna belli gerendi cupiditas innata. Sic in posterum Cæsar diligenter cauit ne per otium, eiusmodi quicquam in castris oriretur. Gallos Tenctheris & Vsipetibus Germanis studere intellexit, vt est quarto libro. Itaque ad consilia capienda nihil spatij dandum existimauit, quin celeriter octo millium itinere confecto prius ad hostium castra peruenit, quàm quid ageretur Germani sentire possent. Ocium verò contrarium, vt est secundo belli ciuilis, caussam militibus defectionis contra Curionem meditandæ dedit. Quare disciplina militaris in quotidianis ambulationibus & exercitationibus seuerè teneatur, præcipueq; Imperatoris, Legati, Tribuni: Centurionis authoritas seueritasq; meditationibus istis appareat: His enim miles victoriam meditatur tantoq;

ideò

ideò promptius assequetur, quantò diligētius meditatus fuerit. Sic igitur castris positis miles perpetuò paratus & promptus ad dimicandum. Libyci pastoris labores cum legionarij militis laboribus Maro comparauit, quòd vterque dies & noctes ambulet, portet arma, tectum, cibum, protinusq; stet expeditus in opere: Ergo ait,

Sæpe diem noctémque & totum ex ordine mensem
Pascitur, idq; pecus longa in deserta, sine ullis
Hospitijs, tantum campi iacet, omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumq; larémque,
Armaq;, amyclæumq; canem, cressamq; pharetram:
Non secus ac patrijs acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce uiam dum carpit, & hostem
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

TERTIA

TERTIA PARS.



PPARATVM & castra diximus, reliquus est prælij congressus, de quo varia præcipi solent à magistris huius doctrinæ: quatuor autem communia sunt, in prælijs consideranda & comparanda, vires, locus, ordo, cohortatio: quorum ratio à Cæsare diligenter habita est. In obeundis expeditionibus (ait de Cæsare Suetonius) dubium cautior'ne an audentior fuerit. Ego verò ex ipsius rebus gestis fortissimum quidem, sed partibus infinitis prudentiorem statuere possum: Vires igitur quæ satis essent ad victoriam semper habuit. Itaque si quando maiores hostium vires fuerunt, pugnâ abstinuit: Sic cùm propè trecenta Belgarum millia vno tempore armata essent, & castra à millibus passuum minus duobus contra ipsius castra posuissent, Cæsar quamuis octo plenas legiones haberet: tamen primò propter multitudinem hostium, & propter eximiam opinionem vir-

rutis, prælio supersedere statuit. Vercingetorix (vt est septimo libro) octoginta millia peditum, quindecim equitum habebat: Cæsar quamuis decem legiones haberet: tamen quod hostes equitatu superiores esse intelligebat, dimicare noluit: sed trans Rhenum in Germaniam mittit, equites'que accersit & leuis armaturæ pedites qui inter eos præliari consueuerant. Quot millia? inquies, Cæsar tacet, sed tot, inquam, existimato, quod ad victoriam sufficere statuerit: ac iam cum viribus equitum respondet, tum demum præliatur. Cum Pompeio, cum Scipione non antè dimicauit quàm totæ copiæ transportatæ essent. Quinetiam, si dimicare cogeretur, ne cum maiore multitudine dimicaret id callidè agere consueuit, vt hostium copias distraheret, ac dissipatas, faciliùs vinceret: Sic, ne contra trecenta illa Belgarum millia vno tempore confligere cogeretur, Diuitiacum Heduum cum Heduis copiis in Bellouacorum (quorum sexaginta delecta millia in Belgarum castris erant) fines ad hostium manus distinendum ac distrahendum ab se dimisit, ac Bellouacis, cùm eorum finibus Hedui appropinquarent, persuaderi non potuit vt diutiùs cum reliquis Belgis morarentur, Aduersus Ambiorigem, disciplinę consilium idem est. Ambiorix rex Eburonum legatos Cæsaris Cottam & Sabinum cum toto exercitu deleuerat, sed facinoris sui

defen-

defensores permultos habebat, Neruios, Aduaticos, Menapios, Germanos, Senones, Carnutes. Cæsar vt hanc cladem indignissimè tulit, ita grauissimè vindicandam statuebat, atque ideo omnia prius Ambiorigi auxilia detrahenda, quò faciliùs destitutum opprimeret: Itaque Cæsar ipse cum quatuor legionibus hyeme nondum confectâ Neruios improuisos & inopinantes, in deditionem coëgit: Senones & Carnutes partim concilio Galliæ publico, partim celeritate & legionum terrore compescuit, Menapios quinque legionibus subegit, per Labienum Treuiros deiecta Induciomari factione, & Cingetorigi principatu reddito, recepit, copijs'que omnibus coäctis Germaniam terruit: atque ita demum Ambiorigis fines omnibus auxilijs nudatos spoliauit pro'que libidine vexauit. Quamobrem, vt in cæteris contentionibus, sic in bello ne Hercules quidem contra duos: Itaque istam quoque prudentiam Cæsar habuit, vt hostium vires viribus æquaret. Ac quod Vegetius è veterum authorum aliquo descripsit, in Consulari exercitu legiones duabus plures nõ fuisse, id de Consule vnius prouinciæ rectore accipiendum: At Cæsar, duas Gallias initio habuit: Itaque legiones quatuor à Repub. primo anno accepit, & cum prouincias bello plures appeteret, duas Heluetico bello addidit, sex'que tum legiones habuit: secundo deinceps octo,

reliquis annis decem præter auxilia annuáque supplementa ascriptiuorum (vt appellat Varro,) qui ascribebantur inermes, vt succederent armatis militibus, si quis eorum deperisset: qui numerus videtur duodecim cohortium fuisse, vt sexto commentario ad Rheni pontem: vbi præter decem legiones, numerantur etiam cohortes duodecim: Legiones verò Cæsaris in cõmentarijs belli Gallici disertè nominantur, prima, septima, octaua, nona, decima, vndecima, duodecima, decimatertia, decimaquarta, decimaquinta. Et Cicero ad Atticũ de Cæsaris copijs ad bellum ciuile, Video (ait) illac facere legiones vndecim. Quantę verò decem legionũ vires fuerint, ostendit illa vox Cæsaris Hispaniensi bello Lusitanos accusantis, An me delecto, nõ animaduertebatis decem habere lectas quidem legiones, populum Romanum, quæ non solùm vobis obsistere, sed etiam cœlum diruere possent? Quin, vt Liuius libro vicesimo prodidit, populus Romanus sociorum Latiníque nominis trecenta millia ad Gallos Italiæ aditu prohibendum vno tempore armata sunt, vnde satis constat exercitus modum ex hostium numero metiẽdum esse: Quinetiam Cæsar exercitus mediocres locis diuisis plures habere maluit, quàm vnicum per magnum & vno loco coniunctum: vt bello Venetico plurimę nationes agitatę in Romanos, cũ Venetis cõiurauerãt, Curiosolites, Ofissimi, Nannetes,

Diablintres, Vnelli, Lexobij, Eburones, Morini, Menapij: metuebātur etiam Aquitani, Germani, Britanni: Gallorum etiam reliquorum motus timebatur. Ergo Cæsar, tametsi octo legionibus & duodecim cohortibus legionarijs armatus esset: quamuis etiam Belgæ omnes victi propemodum, aut pacati essent, Celtæ reliqui factione aliqua sociati essent: partiendum sibi tamen ac latiùs distribuendum exercitum putauit, vt cum paucioribus hostium reliquorum copijs faciliùs dimicaret: Itaque T. Labienum legatum in Treuiros, qui proximi flumini Rheno sunt, cum equitatu mittit, huic mandat, Rhemos reliquos'que Belgas adeat atque in officio contineat, Germanos'que qui auxilio à Belgis accersiti dicebantur, si per vim nauibus flumen transire conentur, prohibeat: Publ. Crassum cum cohortibus legionarijs duodecim & magno numero equitatus, in Aquitaniam proficisci iubet, ne ex his nationibus auxilia in Galliam mittantur ac tantæ nationes coniungantur. Q. Titurium Sabinum Legatum cum legionibus tribus in Vnellos, Curiosolitas Lexobios'que mittit, qui eam manum distinendam curet. Decium Brutum adolescentem clasfi gallicis'que nauibus quas ex Pictonibus & Sanctonis reliquis'que sociorum Celtarum regionibus conuenire iusserat, præficit, & cùm primùm posset, in Venetos proficisci iubet, ipse

eò pedestribus copiis contendit. Quare videtur Cæsar eo bello copiarum numero superior fuisse, & hostium copias ita distraxisse, vt facilius vinceret.

LOCVS.

CAesaris disciplina prudentia'que in viribus copiarum perspecta est: potest par & eadem in loco futuri prælij perspici nec enim minus de prælij loco, quàm de militum viribus securus esse voluit: Superiorem autem Cæsar optauit. ventum etiam & solem congruentem doctores addiderunt. Clara sunt huius prudentiæ ac multa in commentarijs exempla, Cæsar contra Pharnacem regem Ponti castra editissimo colle fecerat, cum spacio non amplius mille passuum intercisa vallis, castra hostis diuideret. Itaque cùm interposita tanta locorum iniquitate Pharnaces Cæsarem esset aggressus, celerrimè superatus est, vt Cæsar, hostis primùm inanem ostentationem, quam putabat irriserit, postea verò incredibilem temeritatem sit admiratus, & eò loci productam aciẽ, quem in locum nemo sanus hostis subiturus esset. At verò longè aliter Cæsar, vbi Vercingetorigem cum omni equitatu expeditis'que peditibus à castris abesse cognouisset, mediâ nocte, silentio profectus ad hostium castra manè peruenit. Illi celeriter per exploratores ad-

uentu Cęsaris cognito, carros impedimentaq́ sua in arctiores syluas abdiderunt, copias omnes in loco edito atque aperto instruxerunt: Quâ re nunciatâ, Cæsar celeriter sarcinas conferri, arma expediri iussit. Collis erat ab infimo leniter accliuis: hunc ex omnibus ferè partibus palus difficilis atque impedita cingebat non latior pedibus quinquaginta: hoc se colle interruptis pontibus, Galli fiducia loci continebant, omniáque vada ac saltus eius paludis certis custodijs obtinebant, sic animo parati vt si eam paludem Romani perrumpere conarentur, hæsitantes premerent ex loco superiore: Indignantes autem Romanos quòd conspectum suum hostes ferre possent tantulo spatio interiecto, & signum prælij exposcentes, Cæsar edocet quanto detrimento & quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam, quos cùm sic animo paratos videret vt nullum pro sua laude periculum recusarēt, summæ se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum uitam sua laude habeat chariorem: sic milites consolatus, eodem die reducit in castra. Hoc idem factum Cæsar postea in castiganda militum cupiditate, qui iniquo ad Gergouiam loco magnum periculum adijssent, repetiuit: Cùm ad Auaricum sine duce & sine equitatu deprehensis hostibus, exploratam victoriam dimisisset ne paruū modò detrimentum in contentione propter iniquitatem

quitatem loci accideret. Secundum eiusdem prudentiæ exemplum est libro octauo, Bellouaci locum castris excelsum impedita circundatum palude delegerant: impedimenta omnia in vlteriores syluas cōtulerant, cúmque Cæsar instructa acie contra staret, copias instruunt pro castris, nec loco superiore decedunt. Cæsar tametsi dimicare optauerat: tamen admiratus tantam multitudinem hostium valle intermissâ, magis in altitudinem depressa, quàm late patente, castra castris hostium confert. Hîc prudentiam eandem, nullam audaciam vides: deinde cùm pontibus palude constrata, legiones traduxisset, aciem constituit eo loco vnde tormento missa tella in hostium cuneos conijci possent: Bellouaci confisi loci naturâ cùm dimicare non recusarent, si fortè Romani subire collem conarentur, in acie permanserunt. Quorum pertinaciâ cognitâ Cæsar prælio abstinet, eo loco castra metatur. Ergo in his exemplis clara rei militaris scientia demonstratur. Ac si natura ipsa superiorem situ locum denegaret: arte tamen Cæsar efficiebat, vt contra Belgas secūdo libro, Collis vbi castra posuerat, paululum explanitie editus, tantùm aduersus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa occcupare poterat, atque ex vtraque parte lateris deiectus habebat, & infrontem leniter fastigiatus paulatim ad planitiem redibat: ab

 vtroque

vtroque latere eius collis, & transuersam fossam obduxit circiter passuum quadringentorum & ad extremas fossas castella constituit ibi'que tormenta collocauit, ne cùm aciem instruxisset, hostes qui tantum multitudine poterant, à lateribus pugnantes Romanos circumuenire possent. Hoc facto, duabus legionibus quas proximè conscripserat in castris relictis, vt si quo opus esset subsidio duci possent, reliquas sex legiones pro castris in acie constituit: hostes item suas copias è castris eductas instruxerunt. Palus erat non magna inter Romanorum & hostium exercitum: hanc si Romani transirent, hostes expectabant. Romani autem, si ab illis initium transeundi fieret, vt impeditos aggrederentur, parati in armis erant. Interim prælio equestri inter duas acies contendebatur: Vbi neutri transeundi initium faciunt, secundiore equitum prælio Cæsar reduxit suos in castra, Hæc Cæsaris in speciem magnifica virtutis ostentatio fuit, reuera simulatio prudentiæ plenissima fuit: Acies enim sic instructa velut in castris vnica tantùm porta aperta cum hostibus prælium commissura fuit: Castra enim erant à tergo, fossæ & vallum ab vtroque latere, vt à fronte tantùm dimicari posset. Quamobrem tam multis documentis manifestum est Cæsaris iudicium, quantus victoriæ artifex & machinator sit locus: Sed cùm dolo gerenda res est, lo-

cus

cus sine dubio est omnium insidiarum receptator & fabricator improbissimus: tum'que virium ratio minor habetur, tanquam locus ipse multorum militum numero habeatur: Ergo huic iniquitati ne Romani quidem ipsi pares esse potuerunt. Romanarum ad Varutam quindecim cohortium tantâ militiæ disciplinâ eruditarum, & quidem hostibus numero, vt Cæsar confitetur, parium: attamen loci iniquitate ab Eburonibus circumuentarum, internecio facta est: Collocatis enim insidijs bipartitò, in syluis opporturno atque occulto loco, Romanorum aduentum Eburones expectabant. Cùm se pars Romani agminis in magnam conuallem demisisset, ex vtraque parte eius vallis, subitò sese ostenderunt, nouissimos'que premere & primos prohibere ascensu prælium'que committere cœperunt procul tela conijciendo, impetum facientibus velocissimè cedendo, interim'que nudatos, ab latere aperto feriendo: denique reuertentes circumsistendo tandem omnes interemerunt. Quamobrem intelligimus quas vires locus habeat. Stulta verò & anili superstitione, locorum circumstantia quæritur. Mithridates Romanos eo loco vicerat, vbi Cæsar castra postea posuit, Pharnaces Mithridatis filius eãdem loci felicitatem sibi proposuit: Itaque auspicijs & religionibus inductus misera clade eodem loco deletus est: Talis est

in tempore vanitas dierum Romanis atrorũ
& infelicium. Hæc superstitio Ariouistũ Germanorum regem perdidit: Nam cùm quæreret Cæsar quamobrem Ariouistus prælio non decertaret, hanc reperiebat caussam, quòd apud Germanos ea consuetudo esset, vt matres familiâs eorum sortibus & vaticinationibus declararent, vtrum prælium committi ex vsu esset nécne: eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante nouam lunam prælio contendissent, Quid igitur? vtrum superstitionis huius tanquam certi in hoste timoris occasionem Cæsar ignorauit, utrum contempsit? imò verò postridie eius diei instructâ acie, vsque ad castra hostium accessit, eósque ad pugnam pertractos deleuit. At Cæsar, ait Suetonius, nulla vnquam eiusmodi religione à quoquam incœpto absterritus vel retardatus est. At temporis circunstantia vnà cum loco in bellis verè considerari illa solet: quod præcipuum sit æstiuum maturis frugibus: belli tamen gallici annis quinto, sexto, septimo, octauo Cæsar summis hyemis difficultatibus res maximas confecit. Diurnum tempus prælijs aptius creditur, & id in commẽtarijs ita traditum est primo belli ciuilis, nocturna prælia esse uitanda, quod perterritus miles in ciuili dissensione timori magis, quàm religioni consulere cõsueuerit: At lucem multum per se pudorem omnium oculis, multum etiam Tribu-
norum

norum militum & centurionum præsentiam afferre: quibus rebus coërceri milites & in officio contineri soleant. Atque id consilium est Pompeianorum Cæsaris hostium: At Cæsaris ipsius consilium tale est. Alexandrino bello, Alexandrini Cæsari redeunti, cum classe occurrerunt, qui duabus de caussis eo die dimicare nolebat, quòd & nullos milites in nauib. habebat, & post horam decimam diei res agebatur: nox autem allatura videbatur maiorem fiduciam illis, qui locorum fiducia confidebāt: sibi etiam hortādi suos auxilium defuturum, quòd nulla satis esset hortatio, quæ neque virtutem posset notare, neque inertiam. Sic nox Africano bello & uentus accusantur: Quod ni in noctem prælium esset coniectum, ait Hircius puluisq; vento flatus, omnium prospectibus offecisset, Iuba cum Labieno capti, in potestatem Cæsaris venissent, equitatúsque cum leui armatura funditus ad internecionem deletus esset: quo tamen Cæsar tum vsus est, cū illud à Pōpeianis deliberatur: sic aliâs sępe: & nocturnum Pompeij cōtrà Mithridatem prælium, nobilissimam hac ipsa temporis occasione victoriam peperit, cùm luna quasi commilitans, à tergo hostibus, à facie Romanis se præbuisset: Pontici per errorem longiùs cadentes vmbras suas quasi hostium corpora petebant, & Mithridates quidem nocte illa debellatus.

Ordinis ratio succedit apud Liuium vno præcipuè octaui libri loco, sed satis obscurè de duorum Consulum cõiuncto exercitu propositus in triplici acie hastatorum, principũ, triariorum: in vnaquaq; autem acie leuem & grauem armaturam collocat: leues, qui hastam tantùm gesa'que gererent: trecentos in hastatis, totidem in principibus, quos vtrósque antepilanos appellat: Sed grauis & in hastatis & principibus armaturæ numerum non habet: in tertia acie viginti quinque millia centum & decem statuit, ac distribuit æqualiter in triarios, grauiter armatos; & leuiter armatos rorarios & accensos, vt in tertia quaque parte sint octo millia trecenti septuaginta: Sic autem Liuius loquitur, Prima acies, hastati erant, manipuli quindecim, distantes inter se modicum spacium: manipulus leues vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat: Hæc prima frõs in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat: Robustior inde ætas totidem manipulorum quibus principibus est nomen: hos sequebantur scutati omnes insignibus maximè armis: hoc xxx. manipulorum agmen, antepilanos appellabant, quia sub signis iam alij quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo vnusquisq; tres partes habebat: earum vnamquanq; primum pilum vocabant: tribus ex vexillis constabat: vexillum CLXXXVI. homines erant: Primum vexillum triarios ducebat,

bat, veteranum militẽ spectatæ virtutis: secundum rorarios, minus roboris ętate factisq́; tertium accensos, minimæ fiduciæ manum, eo & in postremam aciem reijciebantur. Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant: si hastati profligare hostem non possent, pede pressio eos retro cedentes in interualla ordinum principes recipiebant: tum principum pugna erat: hastati sequebantur, triarij sub vexillis considebant sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas sub erecta cuspide in terra fixas, haud secus, quàm vallo septa, inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prosperè esset pugnatum, à prima acie ad triarios sensim referebantur. Inde rem ad triarios redisse, cùm laboratur, prouerbio increbuit. Et sic Varro triarios dictos esse ait, quòd in acię tertio ordine extremis subsidio deponebantur. Triarij consurgentes vbi in interualla ordinũ suorum principes & hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias, vnoq́; continente agmine, iam nulla spe pòst relicta, in hostem incedebant: id erat formidolosissimum hosti, cùm velut victos insecuti, nouam repente aciem exurgentem, auctam numero cernebant. Hactenus Liuius de triplici Romanorum acie, vt in hastatis flos esset iuuentis, in principibus robustior ætas, in triarijs spectatior virtus, vt ordines mili-

tiç loco pariter & virtute crescerent, robusti milites hastati, robustiores hastatis principes, robustissimi omnium triarij. Sed eodem deinceps Liuij loco è prælij administratione, res tota plenius intelligitur, cùm Latini pari militiç disciplina aduersus Romanos præliantur, nec vexilla cum vexillis tãtùm vniuersi, hastati cũ hastatis, principes cum principibus, sed Centurio cum Centurione, si turbati ordines non essent, concurrendũ sibi esse sciebat: Primò igitur vtrumq; æquis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res: deinde ab læuo cornu hastati Romani non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere, tum Decio Consule altero pro legionum, Romanorum victoria dijs superis inferis'que deuoto consternatæ cohortes Latinorum, fugam ac vastitatem latè fecerunt. Simul & Romani exolutis religione animis, velut tum primùm signo dato cohorti, pugnam integram ediderunt: nam & rorarij procurrebant inter antepilanos, addiderantq; vires hastatis ac principibus. Et ille ros videlicet fuit, vnde nomen habent, ait Varro, qui bellum committebant antè: ideo quòd antè rorat, quam pluit. At triarij genu dextro innixi, nutum Consulis ad consurgendum expectabant: procedente deinde certamine, cùm alijs partibus multitudo superaret Latinorum, Manlius Consul audito euentu Collegç, cùm vt ius fásque erat, lachrymis nõ minus quàm laudibus
debitis

debitis prosecutus tam memorabilem mortē esset, paulisper addubitauit an cōsurgendi iam triarijs tempus esset: deinde melius ratus integros eos ad vltimum discrimen seruari, accensos ab nouissima acie, ante signa procedere iubet: Qui vbi subiere, exemplo Latini, tanquam idem aduersarij fecissent, triarios suos excitauerunt: qui aliquandiu pugna atroci cùm & semet ipsi fatigassent, & hastas aut præfregissent aut hæbetassent, pellerent vi tamen hostem, debellatum iam rati, peruentum'que ad extremā aciem: tum Consul triarijs, Consurgite nunc, inquit, integri aduersus fessos, memores patriæ parentum'que & coniugum ac liberorum, memores Consulis pro vestra victoria morte occubantis. Vbi triarij consurrexerunt integri refulgentibus armis, noua ex improuiso exorta acies, receptis in interualla ordinum antepilanis, clamore sublato principia Latinorum perturbant: Hastis'que, ora fodientes primo robore virorum cæso, per alios manipulos velut inermes prope intacti euasere, tanta'que cæde perrupere cuneos, vt vix quartam partem relinquerent hostium. Sic igitur prælium Romanorum aduersus Latinos à Liuio narratur, vnde pugna hastatorum prima, secunda principium, tertia tertiæ aciei, sed ita vt rorarij inter antepilanos primò procurrant: deinde etiam accensi eòdem procedant, vt tum denique viribus hostium vel exhaustis vel debilitatis,

litatis, integri & recentes triarij pugnam capesserent. Polybius eundem ordinem describit apertius, legionem quadrifariam diuidit in pilanos minimos natu, hastatos ijs proximos ætate, principes florentissimis annis, triarios maximos natu, pilanos quidem hastos'que & principes millenos ducenos: triarios autem sexcentos. Si maior fiat legio, proportione partes augentur, exceptis triarijs, quos semper efficiunt pares. Hæc Polybius paulò clarior Liuio. Sed in omnibus commentarijs rerum à Cæsare gestarum vix semel hastati & principis, triarij autem, rorarij, accensi, omninóque pilani vel antepilani ne vix quidem nomen inuenies: Nec omnino ordinis huius vlla significatio in tot Cæsaris prælijs indicatur; siue id tanquam notissimum, de industria prętermissum sit, siue aliam quandam militiæ disciplinam Cæsar habuerit: quod prælia ipsa magis vidētur declarare, in quibus milites veterani primos præliorum impetus sustinent, tyrones ferè collocantur in subsidijs, vt suo tēpore dicetur. An verò vterque ordo simul seruari potuit, vt in vnaquaq; Cęsaris acie, imò legione, hastati & principes cum suis antepilanis: triarij cum suis rorarijs & accēsis distinguerentur, & tamen prima acies veteranos, postrema tyrones tāquam rorarios vel accēsos haberet? Dicam quod in Cęsare animaduerti. Ordo acies'que priùs instruatur, quàm hostis adueniat:

niat: Ita tamen, vt nunquam totis viribus vno tempore dimicetur, sed pars certa extra prælium idoneo loco reseruetur, vnde laborantibus subsidium summitti possit: Id enim Cæsarem summo studio prouidisse eo'que præcipuè vicisse diligenter attendenti manifestum est: alios in Cæsare triarios non inuenio. Acies autem variatur numero & figurâ: numero simplex, duplex, triplex, quadruplex appellatur. Africano bello contra Labienum Cæsar aciem simplicem dirigit, vt poterat, propter paucitatem. Sagittarios ante aciem constituit, equites dextro sinistro'que cornu opponit, & ita præcipit, vt prouiderent ne multitudine equitatus hostium circumuenirentur.

Crassus autem aduersus Aquitanos duplicem aciem instruxit, auxiliis in mediam aciem collocatis: At Cæsar ferè quoties leuiore numero æquas vires habuit, aciem triplicem instruit: Sic acie triplici instructâ, ad Ariouistum contendit, & acie triplici contra eum dimicauit: Acie triplici instructâ, ad Vsipetum & Tenctherorũ castra peruenit: Contra Scipionem in Africa triplex acies à manè ad vesperam instructa cõstitit, neque tamen dimicauit: Postea verò ad Thapsum vbi Scipio victus est, Cæsar aciem quadruplicẽ habuit. Ergo sic numero variatur acies: Figura autem cuneata, quadrata, rotũda appellatur: Cuneus dimidiatus rhombus & transformatus in triquetrum valet'que ad per

rum-

rumpendum hostiũ aciem: Sic tres Cæsaris cohortes ad Varutã duo Sicambrorum equitum millia perruperũt & incolumes in castra redierunt: Cæsar penè quadrato agmine in conspectum Bellouacorum processit, ait Hircius: hac autem formâ, Cæsaris prælium nullum in commentarijs formatum est. Sed orbis, vt inter figuras pulcherrimus, sic in vsu militari præstantissimus est. Trecentos legionarios Morini solos & à reliquis copijs seiunctos nacti, primò non ita magno suorum numero circumstiterunt, ac si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt, Cùm illi orbe facto sese defenderent, celeriter ad clamorem hominum circiter millia sex conuenerunt: Quâ re nunciatâ Cæsar omnem è castris equitatum suis auxilio misit. Interim Romani milites impetum hostium sustinuerunt, atque amplius horis quatuor fortissimè pugnauerunt, paucis vulneribus acceptis, complures ex his occiderunt. Secundum exemplum nobis erit de Domitij (qui Cæsaris Legatus erat) fuso exercitu à Pharnace rege Ponti, Cùm victrices regis copiæ se conuerterent ad trigesimam sextam legionem, ea magnis hostium copijs circundata, præsentissimo animo pugnans, in orbem se recepit ad radices montium quò Pharnaces ínse qui propter iniquitatem loci noluit. Quare legio vnica, victorem totum exercitum, artificio orbis sustinuit ab eo'que incolumis euasit. Atqui

qui tamen quinto libro videtur à Cæsaris orbis reprehendi, quo Cotta & Sabinus Cæsaris legati, ab Eburonibus circumuenti, vsi essent. Cúmque, ait Cæsar, propter longitudinē agminis non facilè per se omnia obire, & quid quôque loco faciendum esset, prouidere possent, iusserunt pronuntiari vt impedimenta relinquerentur, atque in orbem consisterent: Quod consilium (etsi in eiusmodi casu reprehendendum non est) tamen incommodè accidit: Nam & Romanis militibus spem minuit, & hostes ad pugnandum alacriores effecit, quòd non sine summo timore & desperatione id factum videbatur. Equitatus Labieni suorum multitudine confisus, Cæsaris paucitatē circumire conatur: Cùm equites Cæsaris pauci, multitudine hostium defessi, equis conuulneratis paulatim cederent, hostis magis magísque instabat. Ita pūctio temporis, omnibus Cęsaris legionarijs ab hostiū equitatu circumuētis, Cæsaríque copijs in orbem compulsis, intra cancellos omnes coniecti, pugnare cogēbantur, omniúmque animi in terrorem coniecti, & maximè tironum: Circunspicere enim Cæsarem, neque amplius facere, nisi hostium iacula vitare. Cæsar interim consilio hostium cognito, iubet aciem in longitudinem quam maximam porrigi, alternis conuersis cohortibus, vt vna post alteram ante signa tenderet. Ita coronam hostium dextro sinistróque cor-

nu, mediam diuidit, & vnam partem ab alterà exclusam equitibus intrinsecus adortus, cum peditatu telis coniectis in fugam uertit, neque longiùs progressus, veritus insidias, se ad suos recipit: Idem altera pars equitum peditumque Cęsaris facit. Orbis igitur has vires habet ad resistendum ad excedendum: At si par esse non posſit, ad rectam lineam, cuius conuersione factus est, tãquam ad principium reductus, extremam salutem ostendit. Prælium verò aduersus infirmisſimam hostium partem nostra firmisſima parte inchoëtur. Leuis armatura prouocet hostem victúmque persequatur: Impar, ad grauem armaturam sese recipiat, prælium excipiat grauis armatura: hic enim murus ahæneus est, statariáque legionis pugna, quę si vicerit, victum hostẽ leuis armatura persequatur. Sed tamen quod de copijs quod de loco fecimus: sic etiam cõtraria neglecti ordinis exempla proferantur: Confusio nempe tam grauis aduersaria est, quàm numeri paucitas, quã loci cuiusuis iniquitas: Sic Belgæ disſipati cæduntur a Cæsare, contra quos acie composítos, dimicare veritus est: hi discessu constituto, secundâ vigiliâ magno cum strepitu ac tumultu castris egresſi nullo certo ordine neque imperio cùm sibi quisque primum itineris locum peteret & domum peruenire properaret, fecerunt vt consimilis fugæ profectio videretur. Hac re statim Cæsar per speculatores

cogni-

cognitâ, insidias veritus, quòd qua de caussa discederent nondum perspexerat, exercitum equitatúmque castris continuit: Primâ luce confirmatâ re ab exploratoribus, omnem equitatum qui nouissimum agmen moraretur, præmisit eique Q. Pedium & L. Aurunculeium Cottam Legatos præfecit, T. Labienũ Legatum cum Legionibus tribus subsequi iussit: Hi nouissimos adorti & multa millia passuum persecuti magnam multitudinẽ eorum fugientium conciderunt. Cùm ab extremo agmine hi ad quos ventum erat consisterẽt fortitérque impetum Romanorum militum sustinerent, priores quòd abesse à periculo viderentur neque vlla necessitate, neque imperio continerentur, exaudito clamore, perturbatis ordinibus omnes in fuga sibi subsidium ponerent: ita sine vllo periculo tãtam eorũ multitudinem Romani interfecerunt, quantum fuit diei spatium, sub occasúmque solis sequi destiterunt, séque in castra vti erat imperatum receperunt. Sic in prælijs Pharsalico, Pontico, Africano, Hispaniensi simulatq; interruptus est ordo, nil est nisi pauor, fuga, cædes: Miserum verò prælii genus est, cùm viribus & loco inferiores, etiam dissipati & confusi deprehẽdimur: cuius generis exempla duo sunt insignia, alterum primo, alterum secundo libro. Ararim ratibus ac lintribus iunctis Heluetii transibant, Vbi per exploratores Cæsar

certior factus est tres iam copiarū partes, Helvetios id flumen transduxisse, quartam verò partem circa flumen Ararim reliquam esse: de tertia vigilia cum legionibus tribus è castris profectus ad eam partem peruenit, quæ nondum flumen transierat: Eos impeditos & inopinantes aggressus, magnam partem eorum cōcīdit, reliqui sese fugæ mādarunt atque in proximas syluas abdiderunt. Hoc exemplum primum est, alterum secūdo libro describitur. Belgæ cùm Cæsar illis æquam pugnandi conditionē non faceret, protinùs ex eo loco ad flumen Axonam contendunt, ibi vadis repertis, partem suarum copiarū traducere conati sunt. Cęsar certior factus à Titurio, omnem equitatum & leuis armaturæ Numidas funditores sagittariósque pontē traducit atque ad eos cōtendit, acriter in eo loco pugnatum est: Hostes mpeditos, Romani in flumine aggressi magnum eorum numerum occiderunt. Per eorū corpora reliquos audacissimè transire conantes, multitudine telorum repulerunt. Primos, qui transierant, equitatu circumuentos interfecerunt. Sed in hoc toto inopinati & improuisi prælij genere, celeritas illa, de qua antè in itinere disserui, primas partes obtinet, nec in prælijs Cæsaris alias insidias aliúmue dolum ferè comperio. Sic Germanorum ad Mosam quadringēta & tringinta millia oppressa sunt, cùm prius ad eorum castra Cæsar peruenisset
quàm

quàm quid ageretur sentire possent: Sic sexto libro hyeme nondum confectâ & Neruij & Senones inopinantes priusquam conuenire aut profugere possent, oppressi sunt: Sic Aruerni hyeme summâ Gebennæ altitudine & niuibus, quibus se tutos arbitrabantur, celeritate superatis, parua manu latissimè peruagata perterriti eorúmque copiæ, quod vsu venturum Cæsar opinione præceperat, è Biturigum finibus reuocatæ: Eadem celeritate Bituriges cùm coniurationem meditarentur, imparati & priusquā in oppida cōfugere possent, equitatu circunuēti, intereáq; vulgatæ illud incursionis signum, quod incendijs ędificiorum intelligi consueuit, interdicto sublatum, ne aut copia pabuli frumentíq; deficeret, si longiùs progredi vellet, aut hostes incendijs terrerentur, tantáque celeritate omnibus locis Cæsar occurrit, vt nulli ciuitati, spatium de aliena potiùs quàm de domestica salute cogitandi dederit, qua celeritate & fideles amicos retinebat, & dubitantes, terrore ad conditiones pacis adducebat. Pompeiani Petreius & Afranius noctu proficiscendū non putant: At Cæsar exploratis regionis, albente cœlo, omnes copias castris educit, magnóque circuitu nullo certo itinere exercitū ducit: Nam quæ itinera ad Iberum pertinebant, castris hostiū oppositis tenebātur, ipsi erant transcendendæ valles maximæ ac difficillimę: saxa multis locis prę-

rupta iter impediebāt, vt arma per manus necessariò traderentur, militésque inermes subleuatique alij ab aliis, magnam partem itineris conficerent. Sed hunc laborem recusabat nemo, quod eum omnium laborum finem fore existimabant, si hostem Ibero intercludere & frumento prohibere potuissent: Ac primò Afraniani milites visendi caussâ, læti ex castris procurrebant cōtumeliosis'que vocibus prosequebantur Cæsarianos necessarij victus inopia coactos fugere. Erat enim iter à proposito diuersum contrariámque in partem iri videbatur: Duces verò eorum, consilium suū laudibus ferebant, quod se castris tenuissent: multúmque eorum opinionem adiuuabat, quod sine iumentis impedimentis'que ad iter profectos videbant, vt non posse diutius inopiam sustinere confiderent: Sed vbi paulatim retorqueri agmen ad dexteram conspexerunt, iámque primos, superare regionem castrorum animaduerterunt, nemo erat adeò tardus aut fugiens laboris, quin statim castris exeundum atque occurrendum putaret. Conclamatur ad arma atque omnes copiæ paucis præsidio relictis cohortibus exeunt, recto'que ad Iberum itinere contendunt. Erat in celeritate, omne positum certamen vtri prius angustias montesq; occuparent. Sed exercitum Cæsaris, viarum difficultas tardabat. Afranii copias, equitatus Cæsaris insequēs morabatur; Res tamen

ab Afranianis huc erat necessariò deducta, vt si priores, montes quos petebāt, attigissent, ipsi periculum vitarent, impedimenta totius exercitus cohortésque in castris relictas seruare nō possent: Quibus interclusis exercitu Cæsaris, auxilium ferri nulla ratione poterat: Confecit prior iter Cæsar, atque ex magnis rupibus nactus planitiem, in hac contra hostem, aciem Instruit, eáque celeritate Pompeianos deditionem facere coëgit. Simillimâ itineris & diligentiâ & astutiâ Pompeius in Græcia circumuentus est, Cæsar acie instructa decertandi potestatem Pompeio fecit. Vbi illum suis locis se tenere animaduertit, reducto in castra exercitu aliud sibi consilium capiendum existimauit: Itaque postero die omnibus copiis magno circuitu, difficili angustóque itinere, Dyrrhachium profectus est, sperans Pompeiū aut Dyrrhachium cōpelli, aut ab eo intercludi posse, quòd omnem commeatum totiúsque belli apparatum eò cōtulisse, vt accidit: Pompeius enim primò ignorans eius consilium, quòd diuerso ab ea regione itinere profectum videbat, angustiis rei frumentariæ compulsum discessisse existimabat: Postea per exploratores certior factus, postero die castra mouit, breuiore itinere se occurrere ei posse sperans: quod fore suspicatus Cæsar, militésque adhortatus vt æquo animo laborem ferrent, parua parte noctis, itinere intermisso manè Dyrrhachium

venit cùm primum agmen Pompeij procul cerneretur: atq; ibi castra posuit. Hic alterū certamen non pugnę uel cędis, sed diligentię & celeritatis vides, quo Pompeius opportunissima sibi ciuitate interclusus est.

COHORTATIO.

ERgo hęc de ordine, cohortatio reliqua est, cuius lex à Cęsare Pharsalico pręlio laudata & celebrata est. Est quędā (ait) animi incitatio atq; alacritas naturaliter innata omnibus, quę studio pugnę incēditur: hanc non reprimere, sed agere imperatores debēt: Neq; frustra antiquitus institutū est, vt signa vndiq; cōcinerent clamorem'q; vniuersi tollerēt: quibus rebus & hostes terreri & suos incitari existimauerūt. Hanc nimirū militię legem quarta Philippica Tullius vsurpauit, cùm ad Quirites ita loquitur, Faciam igitur vt imperatores instructâ acie solēt, quanquā paratissimos milites ad pręliandū videant, vt eos tamen adhortentur, sic ego vos ardētes & erectos ad libertatem recuperandā adhortabor. Quapropter in pręlijs vt vires, locus, ordo, sic vel maximè cohortatio requiritur, quā verè cotem militaris virtutis appellare possumus: Itaq; si quando alacritas animi absterritis militibus defuit, nunquā pręlium sibi antè cōmittendum Cęsar existimauit, quā certa cohortatione confirmasset.

masset. Nonuimus antea, quantâ curâ milites, Germânici belli errore debilitatos recreârit, tum orando (qua facultate plurimum valuit) tum hostem ipsum non in odium modò, sed in contemptũ adducendo, vnde tanta pręliandi cupidas incensa est, vt ipso prælij die Romani complures, in hostium phalangem insilerent & scuta manibus reuellerent & desuper vulnerarent. Cæsar ad Dyrrachium aduersis duobus prælijs eodem die vsus est: Hic igitur eloquentia & authoritas eadem adhibita est ad pristinam alacritatem recuperãdum: Concionem apud milites habuit, hortatusq́ est ne ea quæ accidissent grauiter ferrent, néue his rebus terrerentur, multisq́ secundis pręlijs vnum aduersum & id mediocre opponerent, habendum fortunæ gratiam, quòd Italiam sine aliquo vulnere cœpissent: quòd duas Hispanias bellicosissimorum hominum peritissimis atq; exercitatissimis ducibus pacauissent, quòd finitimas frumentariasq́ prouincias in potestatem redegissent: denique recordari debere quâ felicitate inter medias hostium classes, oppletis non solùm portibus, sed etiam litoribus, omnes incolumes essent trãsportati: si non omnia cederent secunda, fortunam esse industriâ subleuandam: quod esset accceptum detrimenti, cuiuis potius, quàm suę culpæ debere tribui: Locum se tutum ad dimicandum dedisse, potitum esse hostium castris,
 expulisse

expulisse ac superasse pugnantes: sed siue ipsorum perturbatio, siue error aliquis, siue etiam fortuna, partam iam præsentémque victoriam interpellauisset, dandam omnibus operã, Vt acceptum incommodum, virtute sarciretur: quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret, vti ad Gergouiam accidisset, atque ij, qui antè dimicare timuissent, vltrò se prælio offerrent. Hac habitâ concione, nonnullos signiferos ignominiâ notauit ac loco mouit: Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor tantúmque studium infamiæ sarciendæ, ut nemo aut Tribuni aut Centurionis imperiũ desideraret, & sibi quisque etiam pœnæ loco grauiores imponeret labores, simúlque omnes arderent cupiditate pugnandi. Cùm superioris etiam ordinis nonnulli oratione permoti, manendum eo loco & rem prælio committendam existimarent: contra ea Cæsar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiúmque interponendum ad recreandos animos putabat. Itaque sauciorum & ęgrorum habitâ ratione, paulò pòst, Gomphis in Thessalia expugnatis, prædâ vrbis, milites recreauit, nec prius de prælio quicquam statuit, quàm re frumentaria præparata confirmatis'que militibus, & satis longo spacio temporis à Dyrrhachinis prælijs intermisso satis perspectos habere militum animos videretur. Sic in Britannia cùm Romani premeren-

merentur, Cæsaris'que aduentu hostes consti-
tissent: Cæsar tamen perterritis militibus, ad
lacessendum hostem & committendum præ-
lium alienum esse tempus arbitratus, suo se lo
co continuit, Atque ad hanc alacritatem fidu-
ciámque animorum constituendam plurimũ
valet cum eloquentia, tum authoritas, quæ
postremis præsertim bellis tanta fuit, vt mili-
tes in ipsius imperatoris vultu (ait Hircius
Africano bello) vigore mirabilique hilarita-
te omne auxilium reponerent, huic acquiesce
rent: In ejus sciētia & cõsilio omnia sibi procli-
uia fore sperarent: Ac reuera (vt est ibidem)
Cæsaris nomen authoritásque magna ex par-
te hostium minuebat audaciam: Atque inde
illa Cæsarianorum de seipsis tanta persuasio,
vt Centurio cum aliquot veteranis commili-
tonibus suis captiuis Scipioni libertatem &
stipendium promittendi si contra Cæsarem
militare vellet, Elige (respondit) ex tuis co-
hortem vnam, quam putas esse firmissimam
& constitue contra me: ego autem ex meis cõ-
militonibus quos nunc in tua tenes potestate,
non amplius X sumam: tunc ex virtute no-
stra intelliges quid ex tuis copijs sperare de-
beas. Cohortatione uerò Thapsitanum in A-
frica prælium penè sine prælio confectum est.
Cęsar pedibus circum milites concursans, vir-
tutésque veteranorum præliáque superiora
commemorans blandéque appellans animo

eorum

eorum excitabat: Tirones autem qui nunquã in acie dimicassent, hortabatur vt veteranorũ virtutem æmularētur eorúmque famam, nomen, locúmque victoriâ partâ cuperent possidere. Ex hac Cæsaris cohortatione tantus ardor in Cæsarianis ingeneratus est, tantúsque terror in hostibus, vt Cæsare ipso penè initio Cæsariani in hostes impetum fecerint ac vicerint. Cæsar autem in omnes partes cursitans, colore vestitus agnoscebatur: Id enim Cæsaris insigne in prælijs esse consueuerat (vt est libro septimo) vt si vox ab omnibus percipi non posset, præsentia tamen principis & adhortatio colore ipso perciperetur: Denique tantum valet ad victoriam vna militum cohortatio, vt in victorijs cæterorum, aliquid aliquando defuerit, cohortatio nunquam. Cęsar enim vicit aliquãdo cũ paruis copiis cõtra magnas, vt posterioribus bellis: tum iniquiore loco vt ad Mundam, tum ordine non satis instructo, vt contra Neruios: nunquam verò vllam victoriam reportauit, nisi militibus cohortatione animatis & accensis ad prælium. Atque hæc disciplinæ capita Cæsari tã proposita fuerunt, vt (quod initio posui) partibus infinitis prudẽtiorẽ fuisse quàm fortiorem meritò statuamus. Quinetiam quod armis assequi posset, cõsilio longè maluit (ut in Hispania cõtra Petreiũ & Afranium:) Nam cùm milites ardore pręliãdi flagrarent signúmque pugnæ flagitarent, Cæ-

far in eam spem venerat, se sine pugna & sine vulnere suorum, rem conficere posse, quòd re frumentariâ aduersarios interclusisset: Tum verò, vt ipse disputat, cur etiam secundo prælio aliquos ex suis amitteret? cur vulnerari pateretur optimè meritos de se milites? cur denique fortunã periclaretur? præsertim cùm non minus esset imperatoris, consilio superare, quã gladio. Sic Africano bello cum lacesseretur à Scipionis exercitu, non egrediebatur è castris timidũ'q; se hostium opinioni præbebat: Neq; iccirco copias, quanquam erant paucæ, tironúmque, non educebat in aciem, quòd victoriæ suorum diffideret, sed referre arbitrabatur cuiusmodi victoria esset futura: Turpe enim sibi existimabat tot rebus tantis'que exercitibus deuictis, tot tam claris victorijs partis, ab reliquis copijs aduersariorum suorum ex fuga collectis, se cruentam adeptum existimari victoriam.

DE FORTVNA.

IN bellis plurimum posse fortuna, quin humanarũ rerum domina vulgò dicitur summis'q; viris ad amplitudinem & gloriã & ad res magnas bene gerẽdas, diuinitùs adiuncta, ideo'que in laudibus excellentis imperatoris, quarta ab Oratore efficitur: Fortuna etiam (ait Cæsar tertio belli ciuilis) plurimùm potest, cũ

in reliquis rebus, tum præcipuè in bello paruis momentis magnas rerum commutationes efficit: Sed Cæsar de tàm multis victorijs, nullā solet fortunæ tribuere: Quod vicit, scientiæ & virtutis putat esse: quod aliquādo non victus, sed certè prælijs aduersis sit vsus, id demum fortunæ tribuit: totis Gallici belli commentarijs fortunam à Cæsare Eburonico tātum bello appellatam commemini, quasi fortuna & cladem illius belli Romanis intulerit & vltionem eripuerit. Sabinum & Cottam legatos ab Ambiorige Eburonum rege cum toto exercitu cęsos exposuimus. Erant numero pares Romani, sed à duce (ait Cæsar) & fortuna deserebantur. Hic Cæsar & se & fortunā legionarijs defuisse conqueritur, tanquam Cæsar alias & scientiæ & virtutis militaris caussas adhibiturus fuerit ad aliam fortunam efficiendum. Deinde cùm Ambiorigem Eburonum regem propterea vlcisci modis omnibus conaretur, eóque cum decem legionibus & equitatu toto contenderet, L. Minutium Basilium cum omni equitatu præmittit: si quid celeritate itineris atque opportunitate temporis proficere posit, monet vt in castris ignes fieri prohibeat, néqua eius aduentus procul significatio fiat, sese confestim subsequi dicit. Basilius, vt imperatum est, facit, celeriter contráque omnium opinionem confecto itinere multos in agris inopinantes deprehendit, eorum indicio

ad ipsum Ambiorigẽ cõtendit: quo in loco cũ paucis equitibus esse dicebatur: Multum cùm in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest: Nam sicut magno accidit casu, vt in ipsum incautum atque etiam imparatum incideret, priusquam eius aduentus ab omnibus videretur quàm famâ ac nuntijs afferretur, sic magnæ fuit fortunæ, omni militari instrumento, quod circum se habebat erepto, rhedis equis'que comprehensis ipsum effugere mortem: Sed hoc factum est, quòd ædificio circundata sylua (vt sunt ferè ædificia Gallorum, qui vitandi æstus caussâ, plerúmque syluarum ac fluminum petunt propinquitates:) Comites familiarésque eius, angusto loco paulisper equitum Romanorum vim sustinuerunt: His pugnantibus, illum in equum quidam ex suis intulit, fugientem syluæ texerunt: sic & subeundum periculum & ad vitandum, multum fortuna valuit. Hîc, Cæsar Ambiorigem fortunâ & inuectum & elapsum ait, eiúsque rei euentum fortunæ tribuit. Tertius eodem libro locus est, cùm Cæsar illo accepto dolore permotus, Eburonum gentem funditùs delere cogitaret, eáque de caussa, omnia impedimenta ad Varutam Q. Ciceronis cum vna legione mandauisset, exercitum in omnes Eburonũ fines partitur: At cùm legionarios syluis & paludibus dissipatos, in magno periculo versari videret, omnes finitimas

ciuita-

ciuitates ad diripiendos & vexandos Eburones conuocat. Hîc quantum in bello fortuna posſit (ait Cæſar) & quantum afferat caſus, cognoſci potuit: Sicambrorum Germanorũ duo millia hac fama ad Eburones deprædandum excitantur: Itaque magno hominum pecorísque numero potitis vnus ex captiuis Eburonibus, Quid vos (ait) hãc miserã ac tenuem ſectamini prædam, quibus iam licet eſſe fortunatiſsimis? tribus horis ad Varutã venire poteſtis: Huc omnes ſuas fortunas exercitus Romanorum cõtulit, præſidij tantũ eſt vt ne murus quidem cingi poſſet, neque quiſquam egredi extra munitiones audeat. Oblata ſpe, Germani quã nacti erant prędam in occulto relinquunt, ipſi ad Varutam cõtendunt vſi eodem duce, cuius hæc indicio cognouerant: Et certe parum abfuit quin ea caſtra caperent, tam inſperato támque acri impetu ſunt adorti: At cũ cohortes quinque quæ frumentatum ierant, fortè redirent, Germani ſigna procul conſpicati, legiones Cæſaris primò rediјſſe arbitrantur, poſtea paucitate deſpectâ, facto impetu, ex his duas interficiunt, reliquæ in caſtra incolumes euaſerunt: Itaque Germani obſidione deſperatâ abeunt. Cæſar reuerſus, multum fortunam in repentino hoſtium aduentu potuiſſe iudicauit, multò etiam ampliùs, quòd penè ab ipſo vallo portiſque caſtrorũ barbaros auertiſſet: Quarum omnium rerũ maximè admirandum

dum videbatur, quòd Germani, qui consilio Rhenum transierant, vt Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati, optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerunt. Sic in prælijs ferè omnibus aduersis, calamitas accepta, fortunæ tribuitur: Optauit tamen propitiam sibi fortunam Cæsar, & felicitatis signum Africano bello dedit: sed caussam victoriarum suarum, temeritati & casui nunquam attribuit. Atque hæc ad consequendam victoriam generalia Cæsariani consilij de viribus, loco, ordine, cohortatione capita, & quidem ab omni casus inscitia ac temeritate seiuncta fuerint: speciales prælij differentiæ sunt terrestris, naualis, patenti campo munitionibus incluso, vbi nulla ferè noua præcepta sunt, sed præliorum initia progressus, extrema continuo cursu velut ante oculos subijciuntur, pleniúsq; & vberiùs intelliguntur: Seligemus igitur ex vnaquaque prælij differentia singularia maximè, maximéq; excellentia: è terrestribus patenti campo factis duo gallica ponemus, Heluetićum & Neruicum, duo ciuilia, Pharsalicum & Mundense: Primum igitur Cæsaris prælium aduersus Heluetios erit vicis oppidis'que omnibus incensis egressos ad vniuersæ Galliæ imperium occupandum: quorum qui arma ferre possent, Cęsar ait ad nonaginta duo millia fuisse: quot autem arma tulerint, non exprimit: & quidem priusquam

g de

de summa rerum dimicaretur, quarta pars illi-
us numeri ad Ararim concisa fuerat: Cæsar igi-
tur ab exploratoribus certior factus Heluetios
sub monte consedisse millia passuum ab ipsius
castris octo, qualis esset natura montis & qua-
lis in circuitu ascensus qui cognoscerent, mi-
sit: renunciatum est facilem esse. De tertia vi-
gilia T. Labienum legatum properé, cum dua
bus legionibus & ijsdem ducibus qui iter co-
gnouerant, summum montem ascendere iu-
bet, quid sibi consilij sit, ostendit. Ipse de quar
ta vigilia ad hostes eodem loco quo ierant, cõ-
tendit equitatum'que omnem ante se mittit,
cum'que Considius falso nuncio renunciaret
montem ab Heluetijs teneri, copias in proxi-
mum collem subducit aciem'que instruit.
Heluetij castra mouere: Cæsar insequitur: Po-
stridie cùm iter ab Heluetijs auerteret Bibra-
cte, Heluetij à nouissimo agmine lacessere cœ-
perunt: Postquam id animaduertit Cæsar, co-
pias suas in proximum collem subducit, equi-
tatum'que qui sustineret hostium impetum,
misit, ipse interim in colle medio triplicem a-
ciem instruxit legionum quatuor veterano-
rum, ita vti supra se in summo iugo duas legio
nes, (quas in Gallia Togata proximè conscri-
pserat) & omnia auxilia collocarit ac totum
montem hominibus complerit. Interea sar-
cinas in vnum locum conferri & eum ab his
qui in superiore acie constiterant, muniri ius-
sit

fit. Heluetij cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in vnum locum contulerunt. ipsi confertissimâ acie reiecto Romano equitatu, phalange factâ sub primam Cæsaris aciem successerunt. Cæsar primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, vt æquato omnium periculo spem fugæ tolleret, cohortatus suos prælium commisit: Romani è loco superiore pilis missis facilè hostium phalangem perfregerunt, eâ disiecta gladijs districtis in eos impetum fecerunt. Heluetijs magno ad pugnam erat impedimento, quòd pluribus eorum scutis vno ictu pilorum transfixis & colligatis, cùm ferrum se inflexisset, neque euellere, neque sinistrâ impeditâ satis commodè pugnare poterant: multi, vt diu iactato brachio præoptarent scutum manu emittere & nudo corpore pugnare, tandem vulneribus defessi, & pedem referre, & quod mons suberat circiter mille passuum, eò se recipere cœperunt. Capto monte, & succedentibus Romanis Boij & Tulingi, qui hominum millib. circiter quindecim, agmen Heluetiorum claudebant, & nouissimis præsidio erant, ex itinere Romanos latere aperto aggressi circumuenere. Id conspicati Heluetij, qui in montê sese receperant: rursus instare & prælium redintegrare cœperunt: Romani conuersa signa, bipartitò intulerunt. Prima ac secunda acies, vt victis ac summotis resisteret; tertia, vt venientes sustineret. Ita an-

cipiti prælio diu atque acriter pugnatum est. Diutius cùm sustineri Romanorum impetus non posset, Heluetij se vt cœperant in montem receperunt, Boij & Tulingi ad impedimẽta & carros suos se contulerunt. Nam hoc toto prælio, cùm ab hora septima ad vesperam pugnatum sit, auersum hostem, Romanus videre non potuit. Ad multam noctem, etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quòd pro vallo Heluetij carros obiecerant, & è loco superiore in Romanos venientes tela coniiciebant, & nonnulli inter carros rota'sque, mazaras ac tragulas subiiciebant, Romanos'que vulnerabant. Diu cùm esset pugnatum, impedimentis castris'que Romani potiti sunt. Ergo ita commissum est Helueticum prę lium: in quo singulas laudes recognoscamus. Cæsar hostium numerum, vt iam dixi, amplificat, tacet suum: At sex legiones Romanas & equitum Gallorum millia quatuor habuit vniuersam'que Galliam conspirantem & fauentẽ, cùm id bellum pro Gallorum libertate gerere videretur. Sic viribus Cæsar nequaquam inferior fuit, loco certè superior esse valde studuit: Subducit enim copias in collem proximum: pridie prælii & ipso prelii die copias in proximum collem subducit: Heluetii contra sub mõte consederant pridie, & ipso prælii die sub mõte consederunt: Cæsar igitur initio pugnæ, loco superior fuit; crede cœlum etiam solo respon-

ſpondiſſe, nihil alienum crederis: Certè, vt acies ante inſtrueretur, equitatus ad tardandum hoſtem præmiſſus eſt Virtute fuderunt Heluetii equitatum & leuem Cęſaris armaturam: At aſcenſu collis fatigati, & pilis eminus confixi, ſcuta abiicere, quod in pilorum vſu antè notauimus, & nudi pugnare contra recentes & integros legionarios coguntur. . Locus igitur pro Romanis pugnauit. Heluetii in montem recepti, commilitonem locum habuere, quem hoſtem paulò antè habuerant, ſubſidio'que ſociorum adiuti, prælium redintegrant. Dehinc ordinis laus apparet. Cæſari triplex acies ita diſtincta fuit, vt tertia duabus primis ſubſidio ſubueniret. Itaque quatuor tantùm legiones illæ veteranæ, initio pugnauere, duæ nouitiæ interea locum impedimentis in ſummo iugo muniuere, tum veteranis legionibus ſubſidio tandem fuêre, quam ordinis laudem ſummam in Cæſare ſtatuo. Hic verò non haſtatis & principibus veteranos, triarios ſed tertiam & quidem tyronum aciem duabus primis veteranis ſubſidio ſummiſſam fuiſſe perſpicio. Tertia fuit ordinis diſciplina, vbi conuerſis bipertitò ſignis, velut orbe quodam facto duæ primę acies in Heluetios à fronte, tertia ab vtroq; latere contra Boios & Tulingos dimicauit, militum illorum quos armigeros, quos cibariorum baiulos, quos foſſores, quos fabros, quos meſſores, quos remiges effecimus, expedita &

excitata virtus, armis tanquam membris vsa est. Cohortationem verò militum quantam ex eo factam arbitramur? Cæsar primùm suo deinde omnium è conspectu remotis equis, vt æquato omnium periculo spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prælium commisit. Quibus hîc verborum argumentis Cæsar vsus sit, non est expositum: sed illud certè fortissimi facti exemplum vehementer incendere militum animos & inflammare debuit, cùm Cæsarem dignitate quidem principem: at periculo commilitonem viderent. Hæc igitur pugna, egregio cùm militis, tum ducis exemplo depugnata est, victoriamque vires, locus, ordo, cohortatio Cæsari tribuerunt. Sed tamen non solùm vincere, sed victoriâ sapienter vti Cæsar sciebat. E trecentis sexaginta octo millibus Heluetiorum, Tulingorum, Boiorum, quæ domo exierant, centum & triginta superfuerãt, ea commeatu interclusa in potestatem redegit: Sed dum obsides arma, serui qui profugerant poscuntur, Verbigenus pagus (qui sex hominum millia fuerant) fugit retractusq; in hostium numero est habitus, quatuordecim millia Boiorum Heduis petentibus concessa sunt, reliqua centum & decem millia domum à Cæsare remissa sunt, ne vacuus ager potiùs à Germanis occuparetur, quàm Romanis stipendiarius esset: atque vtrumque illud Romanum fuit,

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Verumenimuerò ex omnibus Cæsaris prælijs Neruicum singulare est ad ducis & militum laudes omnes declarandum. Neruiorum sexaginta millia à Cæsare notata sunt, Romanæ legiones octo preter illum Gallicum equitatum fuere, maiore etiam numero videtur dimicatum esse, sed Cæsaris factiones præcipuè hic euigilauêre. In Celtica Gallia Senonum ciuitas imprimis firma, & magnæ inter Gallos authoritatis fuit. Cæsar apud eos regem constituit Cauarinum. Carnutum ciuitas censu atque authoritate par erat, vt constat è septimo libro: Hic etiam Tasgetium regem fecit, easq́ue ciuitates horum regnorum beneficijs obstrictas habuit: Itaque dat negocium Senonibus reliquis'que Celtis, qui finitimi Belgis erant, vti ea quæ apud Neruios gerantur, cognoscāt se'que de his rebus certiorem faciant. Exploratores Cæsaris quàm multos hîc vides? Atqui Cæsari tam propositum id semper fuit, vt si per exploratores suos hostium consilium cognoscere non posset, equitum turmas, quod Bellouaco bello fecisse legimus, dimitteret in omnes partes ad aliquos excipiendum, ex quibus hostium consilia cognosceret. Sapientis Imperatoris est, inter hostes semina discordiarum serere. Cæsar etiam hostium partem suis factionibus sibi adiungit. Quære quomodo reliqui Celtę quieuerint, quâ ratio-

ne Rhemi tam facilè se dediderint, commeatu aluerint, imò Treuiri etiã equitatum miserint, vtrum ijs regna promissa suspicêre? Sed his facultatibus & copiis aduersus Neruios Cæsar contendit. Hi, mulieres, qui'que per ętatem ad pugnam inutiles viderentur, in eum locum cõiecerât, quo propter paludes, exercitui aditus non esset: ipsi autem trans Scaldem flumen consederunt, ibi'que Romanorum aduentum expectare decreuerunt. Exploratores itaque à Cæsare Centuriones'que præmissi locum castris delegerunt in colle à summo æqualiter decliui ad Scaldem, cuius altitudo erat trium pedum: à flumine, pari accliuitate collis nascebatur aduersus huic & contrarius, passus circiter ducentos inferiore parte apertus, superiore syluestris, vt non facilè introspici posset. Intra eas syluas Neruij in occulto sese continebant, in aperto loco secundum flumen paucæ stationes equitum videbantur. Cæsar in equitatu præmisso subsequebatur omnibus copijs. Equites Romani cum funditoribus sagittariis'que flumen transgressi, cum hostium equitatu prælium commiserunt: cùm se illi identidem in syluas ad suos reciperent ac rursus ex sylua in Romanos impetum facerent, neque Romani longiùs quàm quæ ad flumen porrecta & aperta loca pertinebant cedentes insequi auderent, interim legiones sex, quæ primæ venerant, opere dimenso castra munire cœperũt. Vbi prima

impe-

impedimenta Romani exercitus ab his qui in syluis abditi latebant visa sunt, quòd tempus inter eos committendi prælii conuenerat, ita, vt intra syluas aciem ordinesq́; constituerant atque ipsi sese confirmauerant, subitò omnibus copiis prouolarunt impetum'que in Romanos equites fecerunt, his facilè pulsis ac perturbatis, incredibili celeritate ad flumen decurrerunt, vt penè vno tempore & ad syluas, & in flumine & in manibus Romanis hostes viderentur. Eadem autem celeritate, aduerso colle ad Romana castra atque eos qui in opere occupati erant, contenderunt: Cæsari omnia vno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne cùm ad arma concurri oporteret, signum tubâ dandum, ab opere reuocandi milites, qui paulò longiùs aggeris petendi caussâ processerant, accersendi, instruenda acies, milites cohortandi, signum dandum, quarum rerum magnam partem temporis breuitas & incursus hostium impediebat: His difficultatibus duæ res erant subsidio, scientia atque vsus militum, quod superioribus præliis exercitati, quid fieri oporteret non minùs commodè ipsi sibi præscribere, quàm ab aliis doceri poterant, & quòd ab opere singulis'que legionibus singulos legatos Cæsar discedere nisi munitis castris vetuerat: hi propter celeritatem & propinquitatem hostium nil iam Cęsaris imperium expectabant, sed per

ſe quæ videbantur, adminiſtrabant: Cæſar neceſſariis rebus imperatis, ad cohortandos milites quam in partem fors obtulit, decurrit, & ad legionem decimam deuenit, milites non longiore oratione eſt cohortatus, quàm vti ſuæ priſtinæ virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo hoſtium'que impetum fortiter ſuſtinerent: Et quia non longiùs hoſtes aberant quàm quò telum adiici poſſet, prælii committendi ſignum dedit, atque in alteram partem item cohortandi cauſsâ profectus, pugnantibus occurrit. Temporis tanta fuit exiguitas hoſtium'que tam paratus ad dimicandum animus, vt non modò ad inſignia accommodanda? ſed etiam ad galeas induendas ſcutis'que tegmenta detrahenda tempus defuerit: Quam quiſque ab opere in partem caſu deuenit, quæ'que ſigna prima conſpexit, ad hæc conſtitit, ne in quærendis ſuis pugnandi tẽpus dimitteret: Inſtructo exercitu magis vt loci natura deiectus'que collis & neceſsitas temporis, quàm vt rei militaris ratio atque ordo poſtulabat. Cùm diuerſis locis legiones alię alia in parte hoſtibus reſiſterent, ſepibusq; denſiſsimis, vt ante demonſtrauimus, interiectis proſpectus impediretur, neque certa ſubſidia collocari, neq; quid in quaque parte opus eſſet prouideri, neque ab vno omnia imperia adminiſtrari poterant. Itaq; in tanta rerum iniquitate, fortunæ quoque euentus varii ſequebãtur.
Legio-

Legionum nonæ & decimæ milites vt in sinistra parte aciei constiterant, pilis emissis cursu ac lassitudine exanimatos, vulneribus confectos Atrebates (nam his ea pars obuenerat) celeriter ex loco superiore in flumen compulerunt, & transire conantes insecuti, gladijs magnam partem eorum impeditam interfecerũt. Ipsi transire flumen non dubitauerunt & in locum iniquum progressi rursus regressos ac resistentes hostes redintegrato prælio in fugam coniecerunt: Item alia in parte diuersæ duæ legiones vndecima & octaua profligatis Veromanduis, quibuscum erant congressi, ex loco superiore in ipsis fluminis ripis præliabantur, ac totis ferè castris à fronte & à sinistra parte nudatis, cùm in dextro cornu legio duodecima & non magno ab ea interuallo septima constitisset, omnes Neruij confertissimo agmine, duce Boduognato, qui summam imperij tenebat, ad eum locum contenderunt, quorum pars aperto latere legiones circumuenire, pars summum castrorum locum petere cœpit. Eodem tempore equites Romani leuis'que armaturæ pedites qui'que cum his vnà fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixeram, cùm se in castra reciperent, aduersis hostibus occurrebant: Ac rursus aliam in partem fugam petebant, & calones qui ab decumana porta ac summo iugo collis Romanos victores flumen transire conspexerant, prædandi causâ

caussâ egressi cùm respexissent, & hostes in Romanis castris versari vidissent, præcipites, fugæ sese mandabant: Simul eorum qui cum impedimentis veniebant clamor fremitus'que exaudiebatur, alij'que aliam in partem perterriti ferebantur. Quibus omnibus rebus permoti equites Treuiri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis, qui auxilij caussâ à ciuitate missi ad Cæsarem venerant, cùm multitudine hostium castra Romana compleri, legiones premi & pene circumuentas teneri, calones, equites, funditores Numidas diuersos dissipatos'que in omnes partes fugere vidissent, desperatis Romanis rebus, domum contenderunt, Romanos pulsos superatos'que, castris impedimentis'que, eorum hostes potitos, ciuitati renunciauerunt. Cæsar ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, vbi suos vrgeri, signis'que in vnum locum collatis duodecimæ legionis confertos milites sibi, ipsos ad pugnam esse impedimento, quartæ cohortis omnibus Centurionibus occisis signifero'que interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus ferè centurionibus aut vulneratis aut occisis, in his primipilo Publ. Sextio Baculo fortissimo viro multis grauibus'q; vulneribus cõfecto, vt iam se sustinere non posset, reliquos esse tardiores, & nõnullos à nouissimis desertos prælio excedere ac tela vitare, hostes neque à fronte ex inferiore

feriore loco subeuntes intermittere, & ab vtro que latere instare & rem esse in angusto vidit, neque vllum esse subsidium quod summitti posset, scuto à nouissimis vni militum detracto, quòd ipse eò sine scuto venerat, in primam aciem processit, centurionibus'que nominatim appellatis reliquos cohortatus milites, signa inferre & manipulos laxare iussit, quò facilius gladijs vti possent. Huius aduentus spe illata militibus ac redintegrato animo cùm pro se quisque in conspectu Imperatoris etiam extremis suis rebus operam nauare cuperet, paulùm hostium impetus tardatus est. Cæsar cùm septimam legionem quæ iuxta constiterat item vrgeri ab hoste vidisset, Tribunos militum monuit, vt paulatim sese legiones coniungerent & conuersa signa in hostes inferrēt, quo facto cùm alijs alij subsidium ferrent, neque timerent ne auersi ab hoste circumuenirētur, audaciùs resistere ac fortiùs pugnare cœperunt. Interim milites legionum duarum, quę in nouissimo agmine pręsidio impedimētis fuerant, prælio nunciato, cursu incitato, in summo colle ab hostibus conspiciebantur, & T. Labienus castris hostium potitus & ex loco superiore, quæ res in castris Romanis gererentur conspicatus, decimam legionem subsidio Romanis misit, qui cùm ex equitum & calonum fugâ, quo in loco res esset, quanto'que in periculo & castra & legiones & impe-

rator versaretur cognouissent, nil ad celeritatē sibi reliqui fecerunt. Horum aduentu tanta rerum commutatio est facta, vt Romani, etiam qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi prælium redintegrarent, calones, perterritos conspicati Neruios, etiam inermes armatis occurrerent: equites verò, vt turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnæ se legionarijs militibus præferrent. At Neruij etiam in extrema spe salutis tantam virtutem præstiterunt, vt cùm primi eorum cecidissent, proximi iacentibus insisterent atque ex eorum corporibus pugnarent. His deiectis & coaceruatis cadaueribus, qui superessent, vt ex tumulo tela in Romanos conijcerent pilaque intercepta remitterent, vt non nequicquam tantæ virtutis homines iudicari deberet, ausos esse transire latissimum flumen, ascendere altissimas ripas ab subire iniquissimum locum, quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. Hoc prælio facto, & propè ad internecionem gente ac nomine Neruiorum redacto, maiores natu, quos vnà cum pueris mulieribus'que in æstuaria ac paludes collectos dixeramus, hac pugna nuntiata, cùm victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur, omnium qui supererant consensu, legatos ad Cæsarem miserunt, seq; ei dediderunt, & in commemoranda ciuitatis calamitate, ex sexcentis ad tres Senatores ex ho-

minum

minum millibus sexaginta, vix ad quingentos qui arma ferre possent, sese redactos esse dixerunt: Quos Cęsar, vt in miseros ac supplices vsus misericordia videretur, diligentissimè conseruauit, suis'que finibus atque oppidis vti iussit, & finitimis imperauit vt ab iniuria & maleficio se suos'que prohiberent. Hoc prælium vti factum, ita narratum à Cæsare confusissimè est. Capita disciplinæ subducamus: Cęsar numero superior fuit, vt iã perspectum est, cùm propè centum millibus aduersus sexaginta dimicarit. Sed loci æquitas vel iniquitas hîc valde animaduerti potest. Neruij equitatum Romanum leuem'que armaturam quę hostẽ prouocauerat pepulerunt ac perturbarunt. Quid ita? quia ex superiore loco dimicabant. Labienus Atrebates vicit, quid ita? quia superiore loco pilis emissis contra exanimatos cursu ac lassitudine vulneribus'q; antè confectos dimicabat. Vndecima & octaua legio Veromanduos profligarunt, quid ita? quia ex loco superiore in ipsis fluminis ripis præliabantur. Romanæ legiones octo cõiunctæ, Neruios confecerunt, quid ita? quia Neruij de superiore loco decurrerunt in vallem, latissimum flumen transierũt, altissimas ripas ascenderũt, iniquissimum denique locum subierunt. Ergo Cæsar locum tanquam militem tum fortem, tum liberalem (nullum enim stipendium cœpit) contra Neruios eorum'que socios habuit.

At periculum tantum, ordinis inopia creauit: cuius tamen, vt in re tam subita, sua quoque laus extitit: triplex acies binis legionibus pro necessitate temporis est instructa, nona & decima legio sinistro cornu aduersus Atrebates, vndecima & octaua, mediâ acie aduersus Veromanduos: duodecima & septima dextro cornu aduersus Neruios steterunt. Hæc triplex vt Heluetico & Germanico prælio acies fuit. Secunda generis huius commendatio fuit in cornu sinistro, vbi dextri cornu vires fuere, seu casu temporis, vt Cæsar videri voluit, seu Cæsaris aliqua ex itinere ipso prudentia, quia oppositum Neruiorum dextrum cornu, esset infirmius, quod magis probo: quia disciplinæ conuenientius est firmiore nostra parte aduersus hostium infirmiorem partem prælium incipere. Itaque vt Boduognatus in Romanorum, sic Labienus in Neruiorum castris victor eodem tempore versatus est. Tertia laus ordinis deinde fuit. Duodecimæ legionis milites conferti, sibiịpsis ad pugnam erant impedimẽto & septima legio vrgebatur: Illius igitur manipuli laxati sunt: hæc cum illa coniuncta: conuersis in hostem signis, orbis ille Heluetici belli repetitus est, vt alij alijs subsidium ferrẽt, nec auersi, ab hoste circumueniri possent. Vegetiꝰ dextrum cornu, duci exercitus attribuit, & ita Cæsar contra Germanos præliatus est: At isto prẹlio omnibus locis, vt sæpe aliàs interfuit & sub-

submissio subsidiorum cohortatio'que id imprimis videtur exigere. Aelianus quod ad sedes principum attinet, geometricam proportionem seruandam censet, vt medijs extrema respondeant. Tam varia igitur tamq; multiplicia ordinis præsidia fuerunt: attamen subsidia certa propter sepes collocari non potuisse Cæsar conqueritur: Denique nullum omnino subsidium fuisse quod summitti posset. Hos sibi triarios Cæsar queritur defuisse, non illos qui in eadē legione post hastatos & principes subsiderent. Sed hæc perturbatio peccato Cæsaris videtur accidisse: quia faciendis castris legionum partem armatam non habuerat, dum cæteræ opus efficerent, vt lex militaris requirebat, & vt ipse Germanico bello habuit: & totius perturbationis initium hinc videtur ortū: Verùm cohortatio ducis eam culpam præcipuè præstitit: Etenim per Deum immortalem qualis est hoc toto prælio Cæsaris alacritas ad milites excitandum? ad cohortandos milites quam in partem fors obtulit, decurrit: ad legionem decimam, cui confidebat maximè, primùm deuenit, milites pristinæ virtutis admonet: à legionis huius cohortatione ad dextrum cornu cohortandum proficiscitur, nec verbis tantùm, sed rebus adhortatur scuto arrepto, centurionibus'que nominatim appellatis, reliquos milites cohortatus atque in primam aciem inuectus, prælium restituit. Ergo Cæsaris

ista locis omnibus tanta cohortatio quantã militibus alacritatem attulit? Quapropter Cæsar ista cohortatione culpam illam perturbati ordinis amplissimè præstitit. Sed & scientia militum rem valde adiuuit: Etenim non'ne messores illos ac fossores Cæsar ipse profitetur in hac difficultate Cæsares fuisse, qui non minùs commodè ipsi sibi præscribere quã à Cęsare ipso doceri possent? Itaque quam quisque ab opere in partẽ casu deuenit, quæq; signa prima conspexit ad hæc constitit, ne in quærendis suis pugnandi tempus dimitteret: Tum legiones duę illę subsidiarię & decima imprimis, cognito imperatoris periculo, protinus aduolauere. Adiuuit etiam præsentia legatorum, qui vt Germanico, sic Neruico bello tanquam testes virtutis cuiusque fuere: Quapropter hoc prælio vires & ordo, sed multò magis locus: at maximè omnium cohortatio Cęsari victoriam attulere. Atque vt singularis victoria hæc fuit, sic & Cæsar ea singulariter est vsus, reliquos Neruios, cum se dederent, vt in miseros ac supplices vsus misericordiâ videretur, diligentissimè conseruauit suis'que finibus atque oppidis vti iussit, & finitimis imperauit, vt à Neruiorum iniuria se suos'que prohiberent: Comium etiam Atrebatem, cuius eximia tum virtus appararuerat, Atrebatibus regem dedit: Sic victos populos retinuit eum'que victoriæ fructum percepit: Ita duobus his prælijs duæ populo Romano

natiões acquisitę sunt Heluetico Heluetij, Ner uico Neruij. Sed nequaquã in omnes deuictos pari clementiâ vsus est: Seuerior sępe fuit, regẽ Ariouistum funditus sustulit: Sequanos, quod eius erat regnũ, populo Rom. subiecit: Dumnorigem Heduum nobilissimum, quia Cęsarẽ in Britanniam comitari nollet, quamuis se liberum & liberæ ciuitatis esse clamitaret, tamen iussit interfici (vt est quinto libro) Cõcilio Galliæ Durocotorum Rhemorum indicto, de coniuratione Senonum & Carnutum quæstionẽ habere instituit: De Accone qui princeps eius coniurationis fuerat, grauiore sententiâ pronunciata more Romano, supplicium sumpsit, reliquis qui profugissent, aquâ & igni interdixit. Postea Cotuatum Carnutum principem, nouæ etiam coniurationis cõcitatorem ad supplicium depoposcit, verberibus'que exanimatum, securi percussit. Atque hæc gallica prælia terrestria, patenti campo fuerunt, ciuilia sequũtur. Pharsalicum famâ rerum & dignitate principum clarissimum omnium fuit. Pompeius vndecim legiones, prætereaq; magnum numerũ supplemẽti nomine, tria millia sagittariorũ, funditorũ cohortes sex, equitum septẽ millia habuit: Cæsar legiones duodecim præter equitatũ Brundusiũ conuenire iusserat: sed hę legiones hoc infrequentiores fuêre, quod multi gallicis tot bellis defecerant, longum'q; iter ex Hispania magnum numerũ diminuerat & grauis

autumnus in Apulia circumque Brūdusium, ex saluberrimis Galliæ & Hispaniæ regionibus, omnem exercitum valetudine tentauerat: Sed præterea multi quotidianis prælijs perierunt, antequam de summa rerum certaretur, præsidijsque vrbium multi sunt distracti, vt nihil mirandum sit ipso prælij die tam exiguas Cæsari copias fuisse. Quantus verò militum in Cęsarē fuerit amor iam initio belli ciuilis intellectum est, cùm Centuriones cuiusque legionis singulos equites è viatico suo & vniuersi gratuitā & sine frumento stipendioque operam obtulerint (ait Suetonius.) Sed ad tantum periculum partis vtriusque meditationem & antecedentē cohortatiōe comparemus. Prælijs dyrrhachinis, quibus vno die duobus aduersis Cæsar vsus esset, tantū fiduciæ ac spiritus Pompeianis accessit, vt non de oratione belli cogitarent, sed vicisse iam sibi viderentur. Nec quib. rationibus superare possent, sed quemadmodū vti victoriâ deberent, cogitabant: Hæc itaque Pompeianorū meditatio fuit. Quid Cæsar? quid hic meditatur? concione aduocatâ, milites cōsolatus & adhortatus est (vt iam diximus) Ac cùm satis perspectum habere militū animum videretur, tentandum Cęsar existimauit, quidnā Pompeius propositi aut voluntatis ad dimicandum haberet. Itaque exercitum è castris eduxit aciémque instruxit, primùm suis locis, pauloque à castris Pompeij longiùs: continentibus verò die-

bus

bus, vt progrederetur à castris suis collibus'q; Pōpeianis aciē subijceret, quę res in dies confirmatiorem eius exercitū efficiebat. Deniq; illā deambulatiōis exercitationē, de qua diximus, magnâ curâ adhibuit, ac per eos dies prælium secundū equestre fecit. Hęc igitur adhortatio cōfirmatio'q; militum tam diligēs, id est, victoriæ meditatio tā accurata pręliū antecesśit. Sed pręliū ipsum è Cęsaris historia totū proponamus: Pōpeius qa castra in colle habebat, ad infimas radices montis, aciē instruebat, semper, vt videbatur, expectās si iniquis locis Cæsar se subijceret. Cęsar nulla ratione ad pugnā elici posse Pōpeiū existimans, hanc sibi cōmodissimā belli rationem indicauit, vti castra ex eo loco moueret, semper'que esset in itineribus: hoc spectās, vt mouendis castris pluribus'que adeundis locis, commodiore frumentariâ re vteretur, simul'que vt in itinere aliquam occasionem dimicandi nancisceretur, & insolitum ad laborem Pompeij exercitum, quotidianis itineribus defatigaret. Vides igitur potiùs leonis audaciam, quàm vulpis astutiam? vides Cæsariani exercitus vires è laboris illa patientia maiores? His constitutis rebus, signo iam profectionis dato tabernaculis'que detensis, animaduersum est paulò antè, extra quotidianam consuetudinem longiùs à vallo esse aciem Pōpeij progressam, vt nō iniquo loco posse dimicari videretur. Tum Cæsar ad suos, cùm iam esset agmē

 in por-

in portis, Differendū est (inquit) iter in pręsentia nobis, & de prelio cogitandū si, vt semp depoposcimus, animo sumus ad dimicandū parati, non facilè occasionem postea reperiemus. Confestimq́ expeditas copias educit. Ergo Cęsar ęquitatē loci nactus est, quam quęrebat, copias suas confirmauit, locum idoneum ex occasione nūc demū arripit. Conferamus Pompeianam hac in re confidentiam, stultitiæ & temeritatis plenam reperiemus. Pompeius quoq;, vt postea cognitum est, suorū omniū hortatu statuerat prælio decertare: Namque etiam in concilio superioribus diebus dixerat, priùs quàm concurrerēt acies fore vt exercitus Cæsaris pelleretur. Id cùm essent plerique admirati, Scio me (inquit) pene incredibilem rem polliceri: sed rationem consilij mei accipite, quo firmiore animo in prælium prodeatis. Persuasi equitibus nostris, id'que mihi se facturos confirmauerūt, vt cum propiùs sit accessum, dextrū Cæsaris cornu à latere aperto aggrederentur, vt circumuenta à tergo acie, priùs perturbatum exercitum pellerent, quàm à nobis telum in hostem iaceretur: ita sine periculo legionum & penè sine vulnere bellum conficiemus: Id autem difficile non est, cùm tantùm equitatu valeamus. Simul denuntiauit, vt essent animo parati in posterum: & quoniam fieret dimicandi potestas vt sæpe cogitauissent, ne vsu manu'que reliquorum opinionem fallerent. Hæc

igitur Pōpeij vanitas atq; inanis ostētatio fuit: Hūc Labienus excepit, & errorē amplificauit: Nam cū Cęsaris copias despiceret, Pōpeij cōsi liū summis laudibus efferret, Noli (inquit) existimare Pompei, hūc esse exercitū qui Galliam Germaniamq; deuicit. Omnibus interfui prælijs, neq; temerè incognitam rem pronuncio. Perexigua pars illius exercitus superest, magna pars deperijt, quod accidere tot prelijs fuit necesse: multos autumni pestilentia in Italia cō sumpsit, multi domum discesserunt, multi sunt relicti in continenti. An non audistis ex ijs qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundusij factas? Hæ copiæ quas videtis, ex delectu horum annorum in Togata Gallia sunt refectæ, & pleræq; sunt ex colonis Trāspadanis: Attamē quod fuit roboris, duobus prælijs Dyrrhachinis interijt. Hæc cùm dixisset iurauit se nisi victorem, in castra non reuersurum reliquos'que, vt idem facerēt hortatus est. Hoc laudans Pompeius, idem iurauit: nec verò ex reliquis fuit quisquā, qui iurare dubitaret. Hęc cùm facta essent in concilio, magna spe & lætitiâ omnium discessum est, ac iam animo victoriam præcipiebant, quòd de re tanta, & à tā perito Imperatore nihil frustrà confirmari videbatur. Quapropter eiusmodi Pōpeiana meditatio fuit, ea futuri prelij cogitatio: Vires vtriusq; partis & locū percepimus, ordinē deinde attendamus. Cæsar cū Pompeij castris appro-

pinquasset, ad hunc modũ aciẽ eius instructam animaduertit. Erant in sinistro cornu legiones duę traditę à Cæsare initio dissensionis ex S.C. quarũ vna, Prima, altera, Tertia appellabatur. In eo loco ipse erat Pompeius, non in dextro, vt Vegetius pręcipit: mediã aciem Scipio cùm legionibus Syriacis tenebat. Cilicensis legio coniũcta cum cohortibus Hispanis, in dextro cornu erant collocatæ: has firmissimas se habere Pompeius existimabat. Reliquas inter aciẽ mediam cornuaq́; interiecerat numeroq́; cohortes CX expleuerat: hæc erant millia LV. Euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiarijs superiorum exercituum, ad eum conuenerant, quæ tota acie disperserat: reliquas cohortes VII. in castris propinquis'que castellis pręsidio disposuerat. Dextrum cornu eius riuus quidam impeditis ripis muniebat: quam ob caussam cunctum equitatum, sagittarios funditores'que omnes in sinistro cornu obiecerat. Habes aciem Pompeianam suis partibus instructam & ordinatam, vbi Pompeium licet principem summum, tamen in sinistro cornu contra Vegetianum præceptum conspicimus. Quid Cęsar? quem in tanto prælio ordinem tenuit? certè minus accuratè descripsit, quã cęteris antè pl̃ijs cõsueuerat: tres tãtũ legiones, vnã in dextro cornu, duas in sinistro nominat, mediam aciem non definit, sicuti neq; quartã è tertiæ cohortibus effectam: Quam vtramq; tamẽ subsi-

subsidiariã habuit & victorię principē causam. Sic aũt de se, ipse loquitur, Cæsar superius institutũ seruãs, decimã legionem in dextro cornu, nonã in sinistro collocauerat, tametsi erat Dyrrhachinis prælijs vehemēter attenuata: huic sic adiunxit octauã, vt penè vnam ex duabus efficeret: atq; alteram alteri præsidio esse iusserat. Cohortes in acie LXXX. cõstitutas habebat: quę summa erat militum XL: sic enim eum locum lego, vt numero quidem militum Cæsar inferior esset, at viribus superior: Cohortes duas castris præsidio reliquerat: Sinistro cornu Antonium, dextro Publ. Syllam, media acie Cn. Domitium præposuerat: ipse contra Pompeium constitit: Simul his rebus animaduersis quas demonstrauimus, timens ne à multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex tertia acie, singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam instituit equitatui'que opposuit, & quid fieri vellet, ostendit: monuitque eius diei victoriam in earum cohortium virtute constare, sicut in omnibus ferè prælijs ex illa subsidiaria acie caussa victoriæ constitit: simul tertiæ aciei toti'que exercitui imperauit ne iniussu suo concurreret: se cùm id fieri vellet, vexillo signum daturum, Hic ordo quadruplicis aciei fuit: Adhortationem Cæsaris audiamus. Exercitum cùm militari more ad pugnam cohortaretur, suaq; in eum perpetui temporis officia prædicaret, imprimis comme

morauit testibus se militibus vti posse quanto studio pacem petisset, quæ per Vatiniū in colloquijs, quæ per Au. Clodium cum Scipione egisset: quibus modis ad Oricum cum Libone demittendis legatis contendisset, neque se vnquam abuti militum sanguine, neq; Rempub. alterutro exercitu priuare voluisse. Hac habita oratione exposcentibus militibus & studio pugnæ ardentibus, tubâ signum dedit. Ergo Cęsaris ea cohortatio fuit, quam nihilo minor Crastini cohortatio secuta est. Erat Crastinus euocatus in exercitū Cæsaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione decima duxerat, vir singulari virtute: hic signo dato, Sequimini me (ait) manipulares mei, qui fuistis & vestro imperatori quam cōstituistis, operam date. Vnum hoc prælium superest, quo confecto & ille suam dignitatem, & nos nostram libertatem recuperabimus. Simul respiciens Cæsarem, Faciam (inquit) hodie, imperator, vt aut viuo mihi aut mortuo gratias agas. Hæc cùm dixisset, primus ex dextro cornu procurrit, atque eum electi milites circiter CXX voluntarij eiusdem centuriæ sunt prosecuti, Crastini'que virtus excellentissima (vt post victoriam Cæsar ipse iudicauit) in hoc prælio fuit: Itaque hoc prælio, vt antea Neruico, initium prælij à dextro cornu factum, à firmissima nempe parte, non tamen contra infirmissimam: pręcipuas enim vires Pompeius in

oppos-

oppositum cornu sinistrum contulerat. Inter duas acies tantum erat relictum spatij, vt satis esset ad concursum vtriusque exercitus. Sed Pompeius suis prædixerat, vt Cæsaris impetum exciperent, néue se loco mouerent, aciémque eius distrahi paterentur, id'que admonitu C. Triarij fecisse dicebatur, vt primus excursus vis'que militum infringeretur aciésque distenderetur, atque in suis ordinibus dispositi, dispersos adorirentur: leuiusq; casura pila sperabat, in loco retentis militibus, quàm si ipsi immissis telis occurrissent: Simul fore, vt duplicato cursu Cæsaris, milites exanimarentur & lassitudine conficerentur. Id Pompeij consilium fuit, quod Cæsari, nullâ ratione factum videtur: imò contra cohortationis eam legem, quam ex hoc depromptam loco, quia omniũ preliorum communis esset, preposuimus. Sed Cæsariani milites dato signo cùm infestis pilis procurrissent atque animaduertissent non cõcurri à Pompeianis, vsu periti ac superioribus pugnis exercitati Pompeium fefellerunt: sua quippe sponte cursum represserunt & ad medium ferè spatium constiterunt, ne quod sperasset Pompeius cõsumptis viribus appropinquarent, paruóque intermisso temporis spatio ac rursus renouato cursu, pila miserũt, celeritérque, vt erat præceptũ à Cæsare, gladios strinxerunt: Neq; verò Pompeiani huic rei defuerunt. Nam & tela missa exceperunt, & impetũ

legio-

legionum tulerunt, & ordines conseruauerũt, pilis'que missis ad gladios redierunt. Hic primus prælij fuit impetus. Eodem tempore equites à sinistro Pompeij cornu intenti, vt erat imperatum, vniuersi procurrerunt, omnis'q; multitudo sagittariorum se profudit, quorum impetum Cęsarianus equitatus non tulit, sed paulum loco motus cessit: equites'que Pompeiani hoc acriùs instare & se turmatim explicare, aciem'que Cæsarianorum à latere aperto circumire cœperunt. Atque hic ventus Pompeianæ iactantiæ fuit, sed qui non magno imbre compressus subsedit. Nam vbi id Cæsar animaduertit, quartę aciei, quã instituerat, ex cohortium numero signum dedit. Illi celeriter procurrerunt, infestis'q; signis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, vt eorum nemo consisteret, omnes'que conuersi non solùm loco excederent, sed protinùs incitati fugâ, montes altissimos peterent, quibus summotis omnes sagittarij funditores'que destituti inermes sine præsidio interfecti sunt. Eodem impetu cohortes sinistro cornu pugnantes etiam tum ac resistentes in acie, Pompeianos circumierunt, eos'que à tergo sunt adorti. Eodem tempore tertiam aciem Cæsar, quæ quieta fuerat, & se ad id tempus loco tenuerat, procurrere iussit. Ita cùm recentes atque integri, defessis successissent: alij autem à tergo adorirentur, sustinere Pompeiani non potuerunt, atque

que vniuersi terga verterunt. Hîc igitur acies tertia etiam subsidiaria fuit, non solùm quarta: atque ita duę acies subsidiariæ fuerunt, geminique triarij: alios enim, vt dixi, triarios in Cæsare nō video: & quidem triarios nō illos vt Liuius & Vegetius definiunt, omnium fortissimos ac robustissimos: Decumani enim qui præliū, inierant, palmam illā ferebant. Quamobrem vires militū locus per occasionē captatus, sed ordo, eiusque imprimis subsidia, sed maximè omnium cohortatio tum Cæsaris tum Crastini tam prę clarā victoriā Cæsari tribuerunt. Huius autem victoriæ fructum Cęsar tam celeriter percepit, quàm accuratè victoriam ipsam obtinuerat, fugientem Pompeium persequitur, castra capit, in quibus immodicam Pompeianorum luxuriam in triclinijs stratis, in magno argenti pondere, in tabernaculis hederâ protectis demiratus est, paulo'que pòst, Pompeianas reliquias in potestatem recepit: dehinc authoritas Cęsaris toto terrarum orbe per magna fuit, Cęsarque, vt de se tertio belli ciuilis loquitur, confisus famâ rerum gestarum, omnemque locum sibi tutum fore existimans, Alexandriā infirmis auxilijs proficisci non dubitauit. Sed de Pharsalico prælio satis. Postremum prælium è propositis est Mundense in Hispania, quò Cneius Pompeius filius cum reliquiis paternarum copiarum confugerat. Oppius historiæ huius scriptor longè dissimilis, & elegantiæ

&

& prudentiæ Cæsarianæ fuit. Locus prẹlij primum describitur æquissimus Pompeianis, Cęsarianis iniquissimus ad Mundam oppidum excelso loco positum. Planicies (ait Oppius) inter vtraq; castra intercedebat circiter millia passuũ quinq;, vt auxilia Pompeij duabus defenderentur rebus, oppidi excelsi & loci naturã: hinc dirigens proxima planicies æquabatur, cuius pecursum antecedebat riuus, qui ad eorum accessum summam efficiebat loci iniquitatem: Nam palustri & voraginoso solo currebat ad dextram partem, & Cæsar cùm aciem directam vidisset, nõ habuit dubiũ quin media planicie in æquum ad dimicandum aduersarij procederent. Hoc erat in omnium cõspectu: huc accedebat, vt locus ea planicie equitatum ornaret & diei solis'que serenitas, vt mirificum & optandum tempus, prope à dijs immortalibus illud attributum esset ad prælium committendum. Cęsariani lætari, nonnulli etiam timere, quòd in eum locum res fortunæque omnium deducerentur, vt quicquid post horam castris fieret, in dubio poneretur: Itaque Cæsariani ad dimicandum procedunt, id quod aduersarios existimabant esse facturos: Qui tamen à munitione oppidi mille passibus longius non audebãt procedere, in quo sibi prope murum aduersarij constituebant. Itaque Cæsariani procedunt. Interdum æquitas loci aduersarios efflagitabat, vt tali condi-

tione contenderent ad victoriam: neque tamē illi à sua consuetudine discedebant, vt aut ab ex excelso loco, aut ab oppido discederent. Cæsariani pede presso propius riuum cùm appropinquassent, aduersarij patrocinari loco iniquo non desinunt. Hæc igitur contra Pompeianos Cæsarianis iniquitas loci fuit, vires partium sequuntur ordinis artificio in diligentiùs exposito. Erat acies XIII. aquilis constituta, quæ à lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura millibus sex. Præterea auxiliares accedebant propè alterum tantum, Cæsariana præsidia, LXXX cohortes, & octo millia equitum, cuiusmodi ferè Cæsaris vires contra Pōpeium patrem fuerant, Ita cùm in extrema planicie iniquum in locum Cæsariani appropinquassent, paratus hostis erat superior, vt transeundi superius iter vehemēter esset periculosum. Neq; prudētia Cæsaris hîc ab Oppio prætermissa est. Nam cùm (ait) à Cæsare id esset animaduersum, ne quid temerè culpâ suâ secus admitteretur, eum locum definire cœpit, vt fossâ valloq; obduceretur: Sed miles tot antē partis victorijs insolentior retineri nō potuit: Itaque cùm id hominum auribus esset obiectum, molestè & acerbè accipiebant se impedimento quo minus prælium conficere possent, Hæc mora aduersarios alacriores efficiebat: Cæsaris copias timore impediri ad committendū prælium, Ita se efferētes, iniquo loco sui potestatē

facie-

faciebant, vt magno tamen periculo accessus eorum haberetur. Hîc Decumani suum locũ, cornu dextrum tenebant: Hæc enim legio victoriarum prærogatiuam quandam sua virtute iampridem meruerat: sinistrũ autem cornu, tertia & quinta legio, itemq́ꝫ cætera auxilia & equitatus. Hæc ordinis instructio nempe fuit. Prælium clamore facto committitur: ea enim prelij inchoandi cohortatio Romana erat. Hîc etsi virtute Cæsariani antecedebant, aduersarij loco superiore defendebant acerrimè, & vehemens fiebat ab vtris'que clamor telorumq́ꝫ missu concursus, sic, vt propè Cæsariani diffiderent victoriæ. Atque illud (si verum Suetonius ait) tempus videtur fuisse cùm Cęsar suis fugientibus de consciscenda sibi morte cogitauit: Oppius tamen diffidentiam tantùm, non etiam talem desperationem ostendit. Congressus(ait) & clamor quibus rebus maximè hostes conterrentur in collatu, pari erant conditione, tanta nempe cohortatio tanta'que partium alacritas fuit: Itaque ex vtroque genere pugnæ cùm parem virtutem ad bellandum cõtulissent, pilorum missu fixa cumulatur & concidit aduersariorum multitudo. Dextrum demonstrauimus decumanos cornu tenuisse, qui etsi erant pauci: tamen propter virtutem magno aduersarios timore eorum opera afficiebant, quòd à suo loco hostes vehementer premere cœperunt, vt ad subsidium ne ab latere Cæ-

re Cæsariani occuparentur, legio aduersariorũ traduci cæpta sit ad dextrũ: quæ simul est mora, equitatus Cęsaris sinistrum cornu premere cœpit. At hi eximia virtute prælium facere incipiunt, vt locus in acie ad subsidium veniendi non daretur. Ita cùm clamori esset intermixtus, gemitus gladiorúmque crepitus auribus oblatus, imperitorum mentes timor præpediebat. Hîc (vt ait Ennius) Pes pede premitur, armis teruntur arma. Atque in hoc bellorum ciuilium extremo velut actu. Pompeianos licet vehementissimè pugnantes tandem Cæsariani tamen agere cœperunt: quibus oppidum subsidio, ita ipsi fusi fugatíque non superfuissent, nisi in eum locum confugissent, ex quo erant egressi: In quo prælio ceciderunt millia hominũ circiter triginta & si quid amplius: præterea Labienus & Actus Varus: quibus occisis vtrísque funus est factũ, itémque equites Romani partim ex vrbe, partim ex prouincia ad millia tria. Cæsariani desiderati ad hominum mille partim peditum, partim equitum: saucij ad quingentos. Aduersariorum aquilæ sunt ablatæ XIII. & signa & fasces. Præterea duces belli XVII. capti sunt: hos habuit res exitus. Cæsarianorum præcipuéque Decumanorum virtus hîc excelluit, culpamq; loci temerè initi abũdè præstitit: Si Cæsar, victoriæ scriptor, vt author fuisset, cohortationẽ tam periculoso prælio, talem nẽpe

i lege-

legeremus, qualem antea Neruico prælio cognouimus. Hanc laudem Oppius de victoriæ laudibus præcipuam prætermisit. Fructus victoriæ, non solùm Hispaniæ, sed totius Imperij pax fuit, & triumphorum tot antè victorijs meritorum lætitia.

OPPVGNATIO LO-corum.

HActenus patentibus locis prælia facta sunt, deinceps clausis & munitis erunt: Locus obsessis præsidio est. Itaque cætera, copiarum, ordinis, cohortationis, obsidentibus maiora debent esse. Oppugnationis autem & propugnationis artes ferè communes sunt. Castrensis architectura illa, de qua suprà dictum est, hîc imprimis expromenda est: hac enim virtute vna & singulari, vrbes expugnātur. Locus igitur expugnatur ex itinere primo impetu, aut longiore oppugnatione capitur. Expugnantur ex itinere Gomphi, quod est oppidum primum Thessaliæ, venientibus ab Epeiro, vt est tertio belli ciuilis. Gomphenses venienti Cæsari, portas præcluserunt. Cæsar itaque castris munitis scalas musculos'que (quibus fossæ aggere completæ solidum iter efficerent) ambulatorijs turribus: ad repentinam oppugnationem fieri, & crates parari iussit, quibus rebus effectis, cohortatus milites, do-

cuit quantum vsum haberet ad subleuandam omnium rerum inopiam, potiri oppido pleno atque opulento simul reliquis ciuitatibus, huius vrbis exemplo inferre terrorem, & id fieri celeriter prius quàm auxilia concurrerent. Itaque vsus singulari militum studio, eodem quo venerat, die post horam nonam oppidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnauit & ad diripiendum, militibus concessit, statim'que ab oppido castra mouit, & Metropolim venit, sic vt nuntios expugnati oppidi famam'que antecederet. Metropolitæ eodem primùm vsi consilio, ijsdem permoti rumoribus, portas clauserunt, muros'que armatis compleuerunt: sed postea casu ciuitatis comprehensis ex captiuis cognito, quos Cæsar ad murum producendos curauerat, portas aperuerunt: quibus diligentissimè conseruatis, collatâ fortunâ Metropolitarum cum casu Gomphensium, nulla Thessaliæ fuit ciuitas præter Larissæos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quæ non Cæsari pareret atque imperata faceret. Docuimus antea quid celeritas Cæsaris effecerit: hîc etiam multò plenius intelligitur. Eodem die oppugnati & expugnati sunt Gomphi: Huius celeritatis terrore permouetur tota Thessalia sese'que dedit: sic vno die innumerabiles vrbes in vna vrbe captæ sunt: Ac si propter latitudinem fossæ muri'que altitudinem repentino impetu

vrbs expugnari non posſit, vineis actis, aggere iacto, turribus conſtitutis oppugnatur: Vineæ autem, machina eſt lignea, crudis coriijs intexta vndique, lata pedes octo, alta ſeptem, lõga ſexdecim, ſub qua milites tecti, ad murum accedunt: agger aggeſtus lapidibus, terra, cratibus cumulus. Turres ambulatoriæ ſunt, quarum imâ parte aries ad ſubruendum, falxq́; ad diſtrahendum murum educitur: mediâ, pons aditum in vrbem facit, ſummâ ſagittarij & funditores, muro propugnatorem deijciunt. Magnitudine horum operum, quæ neque viderant antè Galli, neque audierant, & celeritate Romanorum permoti Sueſsiones, Nouiodunum oppidum dediderunt, vt eſt libro ſecundo. Aliquando circumuallatur pariter & oppugnatur oppidum, vt contra Aduaticos libro ſecundo, quorum oppidum egregiè naturâ munitum, ex omnibus in circuitu partibus altiſsimas rupes deſpectúſque habebat: vna ex parte leniter accliuis aditus in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur, quem locum duplici altiſsimo muro munierant, tum magni ponderis ſaxa & præacutas trabes in muro collocarant: Hoc oppidum Cæſar vallo duodecim pedũ, in circuitu quindecim millium crebris'que caſtellis circummunit, deinde vineæ aguntur, agger extruitur, turris conſtituitur, quam vbi moueri & appropinquare muris viderunt, nouâ atq; inuſitatâ

tatâ specie commoti, legatos ad Cæsarẽ de pace miserunt, qui ad hunc modum locuti, Non se existimare, Romanos sine ope deorum, bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes tantâ celeritate promouere & ex propinquitate pugnare possent, se suáque omnia eorum potestati permittere dixerunt: Sic difficillimo & durissimo hyemis tempore oppida Senonum, Carnutum, Biturigum capta sunt, vt est libro septimo. Atque in imprimis oppidis capiendis celeritas illa prorsus admirabilis fuit: Cęsar Vellaunodunum Senonum oppidum biduo circumualluit, tertio die missis ex oppido legatis de deditione, arma conferri, frumenta produci, sexcentos obsides dari iubet: ea qui conficeret C. Trebonium legatum relinquit. Interea Genabum Carnutum capit & incendit: Sic nondum captâ vrbe, vrbs alia tamen capitur, nec vlla temporis occasio, tanta celeritas ducis est, non arripitur: Itaque protinus Cæsar Nouiodunum, Biturigum, armis, equis, obsidibus acceptis, dimittit, vt hac horribili celeritatem reliquas res conficeret, quâ pleráque erat consecutus. Hinc Auaricum cœpit oppugnari, oppidum in Biturigum finibus maximum & munitissimũ atq; agri fertilissimâ regione propè, ex omnibus partibus, flumine & palude circundatum vno & per angusto aditu: Hæc autem palus magna fuit, vt quę perpetua inter Cęsaris & Vercingetorigis

castra intercederet. Ad huius vrbis oppugnationem Cæsar decem legiones habuit præter auxilia sociorum: ordo & cohortatio non defuere. Hostis loco superior erat: Itaq; locus oppugnantib. labore illo castrensi æquandus fuit. Castris igitur ad illum vrbis aditũ positis, Cæsar aggerem apparare, vineas agere, turres duas constituere cœpit: circumuallare autem loci natura prohibebat. Interea summâ difficultate rei frumentariæ (quod Galli circumquaque omnia incenderant & magnis copijs Romanos frumentatione prohibebant) affectus est Cæsaris exercitus: famem tamen (vt antè proposui) quàm rei infectæ ignominiam ferre maluit. Labor in fabricandis machinis antè fuit, hîc etiam fames toleratur: tertia difficultas ab oppidanis oritur: Itaque cùm muro turres appropinquant, singulari Romanorum virtuti, consilia cuiusq; modi Gallorum occurrunt: Nam & laqueis falces, & arietes auertebant, quas cùm distinuerant, tormentis introrsus reducebant & aggerem cuniculis subtrahebant. Totum autem murum ex omni parte turribus contabulauerant, atque has corijs intexerant, cum crebris diurnis nocturnisque eruptionibus, aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere adoriebantur, & Romanarum turrium altitudinem quãtum has quotidianus agger expresserat, commissis suarum turrium malis adæquabant, & apertos cunicu-

los

los præuſta & præacuta materia & pice feruefacta & maximi ponderis ſaxis morabantur, mœnibus'que appropinquare prohibebant. Muri autem compoſiti trabibus & lapidibus ſicerant, vt facile & ab incendio lapis & ab ariete materia defenderet. His tot rebus impeditâ oppugnatione Romani cùm toto oppugnationis tempore, frigore & aſsiduis imbribus tardarentur: tamen continenti labore, omnia hæc ſuperauerunt, & diebus viginti quinque, aggerem, cui nempe turres imponerentur, latum pedes trecentos viginti, altum pedes octoginta extruxerunt. Sed labor hic eſt militum. Quid Cęſar, laboris'ne huius expers fuit? Cùm agger murum hoſtium penè contingeret, Cæſar ad opus, conſuetudine excubabat, milites'que cohortabatur ne quod omnino tempus ab opere intermitteretur: Nec tamen oppidanorum inertia, interea vlla fuit, ſed totam noctem, acerrima dimicatio: paulum ante tertiam vigiliam eſt animaduerſum fumare aggerem, quem cuniculo hoſtes ſuccenderant: eodem'que tempore toto muro clamore ſublato, duabus portis ab vtroque latere turrim, eruptio fiebat: Alij faces atque aridam materiam de muro in aggerem eminùs iaciebant: picem reliquas'que res, quibus ignis excitari poteſt, fundebant, vt quò primùm curreretur, aut cui rei ferretur auxilium vix ratio iniri poſſet. Quid igitur? quæ Cæſaris diſci-

plina, quis ordo in partitione tanti laboris hic fuit? instituto Cæsaris, duæ semper legiones pro castris excubabant, pluresque partitis temporibus in opere erant, vnde celeriter factum est vt alij eruptionibus resisterent, alij turres reducerent aggerémque interscinderēt: omnis verò ex castris multitudo ad restinguendum concurreret. Cùm in omnibus locis consumpta iam reliqua parte noctis pugnaretur, semperque hostibus spes victoriæ redintegraretur, eò magis, quòd deustos turrium pluteos (quibus tecti milites antè turres præliabātur) videbant, nec facilè adire apertos ad auxiliandum animaduertebant, semperque ipsi recentes defessis succederent, omnémque Galliæ salutem in illo vestigio temporis positam arbitrarentur. Accidit inspectanti Cęsari, quod dignum memoriā visum prætermittendum nō existimauit. Quidam ante portam oppidi Gallus, per manus seui ac picis traditas glebas in ignem è regione turris proijciebat, scorpione ab latere dextro traiectus exanimatúsque cōcidit: hunc ex proximis vnus iacentem transgressus, eodem illo munere fungebatur, eadē ratione ictu scorpionis exanimato alteri successit tertius & tertio quartus, nec ille prius est à propugnatoribus vacuus relictus locus, quā restincto aggere atq; omni parte summotis hostibus, finis est pugnandi factus. Hæ igitur oppugnatio Romanorū Gallorumq; propugna-

tio

sio, fuit, virtute animorum vtrinque permagna, at machinarum artificio, at constantia laboris tolerātiáque nequaquam pari: Et Vercingetorigis, qui castra collata castris Cæsaris habebat, permagnus error hîc fuit, (vt ex oppugnatiōe Alexiæ cognoscetur) quòd Romanos in grauissima noctis illius dimicatione, à tergo non sit adortus: nec enim tum omnis multitudo è castris ad restinguēdum concurrisset, si hostis à tergo castra ipsa oppugnasset. Itaque omnia expertí Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium cœperunt ex oppido profugere, hortante & iubente Vercingetorige: Id silentio noctis conati, non magna iactura suorum sese effecturos sperabant, propterea quòd neque longè ab oppido castra Vercingetorigis aberant, & palus, quæ perpetua intercedebat Romanos ad insequendum tardabat, iam'que hoc facere noctu apparabant, cùm matresfamiliàs repentè in publicum procurrerunt, flentes'que proiectæ ad pedes suorum, omnibus precibus petierunt ne se & communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capiendam fugam natura & viriū infirmitas impediret: vbi eos perstare in sententia viderunt, quòd plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit, cōclamare & significare de fuga Romanis cœperunt: quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Romanorum viæ præoccuparētur, consilio destiterunt. Hanc for-

tuna Cæsari occasionem dedit vt hostes domestico vxorum suarum bello grauiùs vrgerētur quàm hostium externo. Hic Auaricensium error Vercingetorigis errore non minor est in loco oppugnationi hostium proposito, inutilem bello, imò, vt res ipsa docet, perniciosam multitudinem habere: hæc enim multitudo in eum locum coniici debuit, quo hostibus aditus non esset, vt de Neruiis antea dictum est. Ergo precium erroris huius, Auarici exitium fuit: sed fortuna multò maiorem è cœli tempestate occasionem dedit, neque Cæsaris vigilantia hîc dormiuit: sed & vtramque celeriter arripuit: simulationis etiam dolum addidit oppidumque capit. Postero igitur die Cæsar promota turri perfectisque operibus quæ facere instituerat, magno coorto imbri, non inutilem hāc ad capiendum consilium tempestatem arbitratus est, quòd paulò incautiùs custodias in muro dispositas videbat suosq; languidiùs in opere versari iussit, & quid fieri vellet ostendit, legiōes intra vineas in occulto expeditas cohortatus, vt aliquando pro tantis laboribus fructum victoriæ perciperent: iis qui primi murū ascendissent præmia proposuit, militibusq; signum dedit: Illi subitò ex omnibus partibus euolauerunt murumq; celeriter compleuerunt: Sic per occasiones illas captum est Auaricum. Sed attende reliquam Cęsaris disciplinam, desperatis non pugnam, sed fugam offerētis: Ho-

stes enim re nouâ perterriti muro turribus'que deiecti, in foro ac locis patentioribus cuneatim constiterunt hoc animo, vt si qua ex parte obuiam contraueniretur, acie instructâ depugnarent. Hîc Cæsar suos continet, Scipionis laudatam illam sententiam memoriâ tenet, hostibus quâ fugerent viam esse faciendam: Itaque Galli vbi neminem in æquum locum sese demittere, sed toto vndique muro circumfundi viderunt, veriti ne omnino spes fugæ tolleretur, abiectis armis vltimas oppidi partes continenti impetu petiuerunt: victoriæ fructus hîc acerbior fuit, pars'que ibi cùm, angusto exitu portarum se ipsi premerent, à militibus, pars iam egressa portis ab equitibus est interfecta, nec fuit quisquam qui prædæ studeret: Sic & Genabensi cęde quâ Romani cęsi fuerant à Carnutibus & labore operis incitati, non ætate cōfectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt: hîc alterum erroris illius est pretium, imbellis nempe multitudo hostilem rabiem sanguine suo satiauit: Denique ex omni eo numero, qui fuit circiter quadraginta millium, vix octingenti, qui primo clamore audito se ex oppido eiecerant, incolumes ad Vercingetorigem peruenerūt. Sic igitur oppugnatum est à Romanis & expugnatum Auaricum incredibili legionariorum labore non bellando tantùm, sed multò magis fodiendo, materiando, fabricando, loci'que interioris munitionem,

tionem, munitione exterioris atque opere exę quando, frigora, imbres, famē denique constātissimè tolerādo: quibus tot malis subleuādis, egregia ducis cohortatio plurimùm valuit, sudoris & algoris particeps fuit, pręmia fortibus viris proposuit: fructus victoriæ fuit, vt summa copia frumenti commeatusq́ reliqui exercitum ex labore atque inopia reficeret amplissimaq́ prædâ ditaret, atque hyeme nondum cōfectâ hostes tanto detrimento frangeret. Auarici oppugnatio magna fuit, sed & difficultate oppugnantium & constantia propugnātium non minor æstimanda Vxelloduni oppugnatio. Vxellodunum Cadurcorum erat oppidū egregiè naturâ loci & in partes omnes, præruptissimis saxis munitum, quo defendente nullo: tamen armatis ascendere esset difficile: Flumen infimam vallem diuidebat totumq́ penè montem cingebat: atque ita infimis montis radicibus ferebatur, vt nullam in partem depressis fossis deriuari posset: A' Drapete Senone & Lucterio Cadurco occupatur. Caninius Cęsaris legatus trinis excelsissimo loco castris obsidet & ab his vallum in oppidi circuitum ducere operibusq́ cingere instituit: Drapes & Lucterius ne fame opprimerentur, frumētationis causâ cum parte copiarum exeunt. A' Caninio vterq́ separatim fusus est: oppidani tamen animo constanti resistunt. Cæsar huc profectus, cùm magnâ frumenti copiâ oppidani abundarent,

ent, nec vlla conditione adduci possent, aquâ prohibere eos instituit, vt quos neq; armis, neque fame potuerat, siti domaret: sed flumen auertere loci natura prohibebat: Erat autem oppidanis difficilis & præruptus eò descensus, vt prohibentibus Romanis sine vulneribus ac periculo vitæ neque adire flumen neque arduo se recipere possent ascensu. Quâ difficultate eorum cognitâ hîc eminus prælium factum est, aduersus oppidanos. Cæsar sagittarijs funditoribus'que dispositis, tormentis etiam, quibusdam locis contra facillimos descensus collocatis aquâ fluminis prohibebat oppidanos. Sic aqua fluminis erepta est: At fontis aqua supererat, quò omnis postea multitudo aquatũ conueniebat: sub ipsius enim oppidi murum magnus fons aquæ prorumpebat ab ea parte quæ ferè pedum CCC. interuallo fluminis circuitu vacabat. Hoc fonte prohiberi posse oppidanos cùm optarent reliqui, Cæsar vnus videret, castrensis labor ille oppidorum expugnator reuocatus est: non sine magno periculo e regionè eius fontis vineas agere aduersus mõtem & aggeres instruere Cæsar cœpit magno cum labore & continuâ dimicatione: Oppidani enim, loco superiore decurrunt & eminùs sine periculo præliantur multos'que pertinaciter succedentes vulnerant: non deterrentur tamen milites Romani vineas proferre, & labore atque operibus, locorum vincere difficulta-

cultates: noui præterea laboris artes adhibent, eodemq; tempore tectos cuniculos agunt ad caput fontis, quod genus operis sine vllo periculo & sine suspicione hostium facere licebat. Extruitur agger in altitudinem pedum nouē, collocatur in eo turris decem tabulatorum, nō quidem quæ mœnibus ęquaretur (id enim nullis operib. effici poterat) sed quæ superare fontis fastigium posset. Hīc verò sit operępręcium turris altitudinem decem tabulatis erectam cōsiderare, non vt aries primo tabulato murum subrueret, aut secundo, pons aditum in vrbem faceret: sed tantùm, vt summis tabulatis librator & iaculator, aquatione oppidanos intercluderet. Ergo ex ea turri cùm tela tormentis iacerentur ad fontis aditum, nec sine periculo possent aquari oppidani, non tantùm pecora atque iumenta, sed etiam magna hominū multitudo, siti consumebatur: Nec tamen tanto malo obsessi, vllam deditionis mentionem faciunt, sed cupas seuo pice, scandulis complent, eas ardentes in opera prouoluunt. Eodem tempore acerrimè præliantur, vt ab incendio restinguēdo dimicationis periculo deterreant Romanos. Magna repentè in ipsis operibus flamma existit: Quæcunque enim per locum præcipitem missa erant, ea vineis & aggere suppressa, comprehendebant id ipsum quod morabatur: Milites contrà Romani, quanquam periculoso genere prælij locoque iniquo

quo premebantur: tamen omnia fortissimo sustinebant animo. Cohortatio vtrinque non deerat: Res enim gerebatur & excelso loco & in conspectu omnium, magnus'que vtrinque clamor oriebatur, ita vt quisque poterat maximè insignis, quò notior testatior'que virtus eius esset telis hostium flammę'que se offerebat. Mirari iubeat in tanta rerum propè desperatione Cæsaris ingenium: præruptissimum montem cernebat, & quò etiam si nemo defenderet, armatis ascendere difficillimum esset: attamen cùm complures suos vulnerari videret, ex omnibus oppidi partibus cohortes montem ascendere & simulatione mœnium occupandorum clamorem vndique iubet tollere. Quo facto perterriti oppidani, cùm quid ageretur in locis reliquis essent ignari, reuocant ab impugnandis operibus armatos muris'que disponunt. Ita Romani sine prælij facto, celeriter opera, flammâ comprehensa partim restinguunt, partim interscindunt. Cùm pertinaciter resisterent oppidani, magna etiam parte suorum siti amissâ, in sententia permanebāt. At postremum cuniculis, venæ fontis interscisæ sunt atque auersæ: quo facto, fons aquę perennis exaruit, tantam'que attulit oppidanis, salutis desperationem, vt id non hominum consilio, sed deorum voluntate factum putarent. Cuniculorum artes videlicet ignorabant, vt Suessiones, vt Aduatici machinas ambulantium tur-

rium: Itaque religione deorum tacti & necessitate coacti, se tradiderunt. Sed ista similis deorũ religio necessitasq́ Cæsarem aquâ similiter Alexandrię interclusum nihil tetigit, nihil coëgit, vt postea dicetur, quin militem animis ad fodiendos puteos incitatis, magnam vna nocte vim aquæ dulcis inueniret. Hic igitur simplicitatis error Gallorum animos ad deditionem induxit, in qua non multò mitior Cæsar fuit, quàm Cæsaris milites in Auaricensi expugnatione fuerant: Omnibus enim qui arma tulerant, manus præcidit, vitamq́ concessit, quò testatior esset eorum pœna: hunc enim victoriæ fructum sibi statuit, vt exemplo supplicij Gallos imposterum deterreret, quò minus se tali constantiâ in libertatem vindicarent. Sed in hoc contentionis dimicationis'que genere non omnia Cæsari secunda successerunt: duplex enim ad Gergouiam & ad Dyrrhachium detrimentum & discessus vtrinque turpis accidit. Gergouia posita in altissimo monte (à cuius ima valle ascensus recta regione si nullus amfractus intercederet, mille ducentos passus ad muros aberat) omnes aditus difficiles habuit: à medio ferè montis in longitudinem ex grandibus saxis sex pedum vallũ Galli produxerant: vrbi duo præterea monte adiungebantur, alterius dorsum propè ęquum & angustũ, quà esset aditus ad alterã partem oppidi: alter mõs è regione vrbis ex omni parte circũcisus.

Galli

Galli igitur & vrbem & vrbis dimidium superiorem montem & adiunctos montes militibus armatis compleuerāt nec vllum ferè diem intermittebant, quin equestri prælio interiectis sagittarijs, quid in quoque esset animi ac virtutis suorum periclitarentur: Cęsar perspecto vrbis situ, si alterum illum montem, qui è regione vrbis teneret, se & aquę magnam partem & pabulationem liberā hostibus ereptu-rum putabat. Silentio itaque noctis priusquā subsidium ex oppido venire posset, præsidiū Gallorum deijcit ibi'que legiones duas collocat, ac fossam duplicem duodenûm pedum â maioribus castris ad hæc maiora perducit, vt toto à repentino hostium incursu etiam singuli commeare possent. Ergo hic Cęsaris ad Gergouiam duobus successit, vnde binis castris Gergouia obsideri cœpta est. Interim Cęsar ad Heduorum decem millia quæ ad hostem deficere dicerentur, retinendum, subitò è castris ad viginti quinque millia passuum egreditur, castraque ipsa summis Gallorum copijs oppugnata, ægerrimè cùm viris tum tormentis defensa sunt: Ac nisi Cæsar postridie, pari celeritate recurrisset, actum de castris Cæsaris videbatur. Hæc prima Cæsari plaga fuit, vnde huius expeditionis eum pœnitere cœpit. Sed cogitanti quemadmodum integrâ famâ discederet, accidere visa est facultas bene gerendæ rei: Montis illius oppido continentis iugum

studiosiùs solito à Gallis defendebatur. In spē inde venit potiundorum castrorum, quæ medio vrbis monte muniebantur: Itaq; alterum dolum meditatur. ac tanquam iugum illud expugnaturus omnibus copijs esset, mittit complures equitum turmas eò de mediâ nocte: his imperat vt paulò tumultuosiùs omnibus in locis peruagentur. Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris detrahi muliones'que cum cassidibus, equitum specie ac simulatione collibus circumuehi iubet: his paucos addit equites qui latiùs ostentationis causâ vagarentur: longo circuitu, easdem omnes iubet petere regiones. Hæc procul ex oppido videbantur, vt erat à Gergouia despectus in castra: neque tanto spacio, certi quid esset, explorari poterat. Legionem vnam eodem iugo mittit, & paulum progressam, inferiore constituit loco syluis'que occultat. Augetur Gallis suspicio, atque omnes illò munitionum copiæ traducuntur. Vacua castra hostium Cæsar conspicatus, tectis insignibus suorum occultatis'que signis militaribus, raros milites, ne ex oppido animaduerterentur, ex maioribus castris in minora traducit, legatis'que quos singulis legionibus præfecerat, quid fieri vellet, ostendit. Præcipit vt celeritate summa in munitiones perrumpãt ijs'que direptis, signo dato redeant: Heduos etiam dextra parte alio ascensu mittit; Signo dato, milites

lites celeriter munitionem transgreßi, trinis castris potiuntur, ac tanta fuit in castris capiẽdis celeritas vt Theutomatus rex Nitiobrigum subitò in tabernaculo oppreßus, vt meridie conquieuerat, superiore corporis parte nudata, vulnerato equo vix se ex manibus prædantiũ militum eriperet. Consecutus id quod animo pposuerat Cæsar, receptui canit, legio decima constitit: reliquæ non exaudito tubæ sono non priùs sequendi finem fecerunt, quàm muro oppidi portis'que appropinquarunt. Tum verò ex omnibus vrbis partibus orto clamore, Galli qui longiùs aberant, repentino tumultu perterriti, cùm Romanos intra portas esse existimarent, sese ex oppido eiecerunt, matresfamiliàs de muro vestem argentum'que iactabant & pectore nudo prominentes, paßis manibus obtestabantur Romanos, vt sibi parcerent, neu sicut Auarici fecissent, ne mùlieribus quidem atque infantibus abstinerent, nonnullæ de muro per manus demissæ, sese militibus tradebant. Auaricum monuit antea quantæ simplicitatis esset, imbellem mulierum turbam in obseßis oppidis habere, Gergouia rursus idem admonet. L. Fabius centurio legionis octauæ, quem inter suos eo die dixisse constabat, excitari se Auaricensibus præmijs, neque commissurum vt priùs quisquam murum ascenderet, tres suos nactus manipulares atque ab his subleuatus, murum ascen-

dit: hos ipse rursus singulos exceptans, in murum extulit. Interim ij qui ad alteram partem oppidi vt suprà demonstrauimus, munitionis caussâ conuenerant, primo exaudito clamore, inde etiam crebris nuntijs incitati, oppidum à Romanis terreri, præmissis equitibus magno concursu eò contenderunt. Eorum vt quisque primus venerat, sub muro consistebat suorũq; pugnantium numerum augebat: quorum cùm magna multitudo conuenisset, matresfamilias, quæ paulò antè Romanis de muro manus tendebant, suos obtestari & more gallico passum capillum ostentare liberósque in conspectum proferre cœperunt: Erat Romanis nec loco nec numero æqua contentio: simul & cursu & spatio pugnæ defatigati, non facilè recentes atque integros sustinebant. Cæsar fremens frendénsque legionariorum suorum cædem spectabat. Ecce etiam nouus ab Heduis terror è similitudine Gallicorum armorum: Nam tametsi dextris humeris exertis animaduertebantur, quod insigne pacatis esse consueuerat: tamen id ipsum sui fallẽdi caussâ Romani ab hostibus factum existimabant: Itaq; Fabius centurio quiq; vnà murum ascenderant, circumuenti atque interfecti, de muro præcipitantur: reliqui in munitiones ingressi quadraginta sex centurionibus amissis loco deijciuntur: eóque die milites sunt paulò minùs septingenti desiderati (ait Cæsar) At quadraginta

draginta sex centuriones, militum millia quatuor & sexcentos ducebant: Itaque pudórne Cæsaris an dolor, an alia quædam ratio cæsorum numerũ minuerit, considerato. Certè Cęsar aliud subsidium summittere laborantibus nullum potuit, quàm vt Gallos intolerantiùs insequentes, religionibus ad radices montis tardaret. Ergo hæc Cęsari ad Gergouiam altera plaga fuit, quâ præsens totos Gallici belli annos grauiorem nullam acceperat, quáque Gergouię oppugnationem dimittere coactus est. Scio Cæsarem nullo vsquam loco tam solicitè egisse, vt facti culpã à se auerteret: de expugnatione desperauerat (ait) de obsessione non priùs agendum constituerat, quàm rem frumentariam expediret: & tamen oppugnat & obsidet, concione aduocatâ, militum temeritatem, licentiam, arrogantiam contra imperatoris sui mandatum reprehendit, quod sibi iudicauissent quò procedendum aut quid agendum videretur, neque à signo recipiendi sui dato constitissent, neque à Tribunis militum legatis'que retineri potuissent: Cæsar acceptæ cladis caussas apertè commemorat, nec numero, nec loco contentio par erat, ordo non deerat, non deerat alacritas & cohortatio, sed numerus, sed locus deerat: At tamen ne milites admodum admitterentur animo, laudem quandam & consolationem huic reprehensioni adiunxit, quòd eorum virtutem

admiraretur, quos non castrorum munitiones, non altitudo montis, non murus oppidi tardare potuisset, nec eos hostium virtute, sed cursu & spacio defatigatos, loci iniquitate victos esse. Toto belli Gallici tempore bis tantùm accidit, vt legiones à Cæsare reprehendi possent, semel contra Ariouistum propter timorem, iterum ad Gergouiam propter audaciam: Illic Cæsar adhortationis confirmationem permagnam adhibuit: Atque hîc ad milites impensiùs confirmandum, & gallicam ostentationem minuendum, continuo biduo legiones è castris eduxit aciem'que idoneo loco constituit, cum'que Galli nihilo magis in æquum locum descenderent, castra mouit: inde ad Alexiam ignominiæ huius nota deleta est, vt postea cognoscetur. Hæc igitur ad Gergouiam detrimenta Cæsari contigerunt, quibus ad Dyrrhachium similia sunt accepta: Vbi tamen Cæsaris singularem militiam operæprecium sit animaduertere: Cæsar ad Dyrrhachium longiùs bellum ductum iri existimans & de Italicis commeatibus desperans, consilium capit ex loci natura. Erant circum castra Pompeij permulti editi atque asperi colles, ibi castella communijt, inde'que ex castello in castellum perducta munitione, circumuallare Pompeium instituit, vt commeatu & pabulatione, sed imprimis authoritate minueret, cum fama per orbem terrarum percrebuisset Pompeium à

Cæsare

Cæsare obsideri; neque tamen audere prælio decertare: At fortunam tentandam sibi Pompeius nequaquam statuebat: Itaque castellis viginti quatuor contra Cæsarem effectis, quindecim millia passuum circuitu complexus est, vt Cæsaris copias quàm maximè distineret, & hôc spatio pabularetur. Cæsar contrà, vt obsidionem retineat, octodecim millia passuum opere complectitur. Eheu posteri, nunquid ista ridicula aut falsa iudicamus? duo terrarum Imperatores summi bellum acerrimum grauissimum'que gerunt, ratione prorsus nouâ & insitatâ: Cæsar complecti Pompeium contendit, Pompeius quàm latissimè potest, toto corpore dilatatur, ne brachijs Cæsaris comprehendi possit: Cæsar tamen conari non desistit, brachia neruis omnibus distendit, ob eam'que caussam prælia sagittis præsertim ad munitiones occupandum vel tuendum vtrinque perpetua fiebant: quin vno die sex prælia facta, tria ad Dyrrhachium, tria ad munitiones maiore Pompeianorum cæde: Ac quicunque alterum est adortus, is ferè repulsus detrimento'que magno affectus est. Pompeiani frumento maris subuectionibus abundabant: verùm pabulatione & aquæ dulcis inopiâ, fluminibus & riuis per Cæsarianos aut auersis aut obstructis, quotidianis'que laboribus, homines operum talium insueti, magnum numerum iumentorum & hominum amittebant:

Cæsariani frumento egebant: At egestatis patientiâ, sicut antea dixi, longè superiores erant: vulgò in vigiliarum colloquijs iactabant, se prius cortice ex arboribus victuros, quàm Põpeium è manibus dimitterent. Ergo patientiæ certamen istud est, vter sitim, vter famem & in perpetuis operibus laborẽ constantiùs tulerit, is victoriam reportet. Cæsar quotidie exercitu producto, Pompeium ad prælium prouocat: Pompeius, vt famam retineat, pro castris exercitum constituit: Cæsar, vt angustiore pabulatione Pompeium contineret, castella noua magnis operibus communit, vnde factum vt Põpeiani folijs arborum & teneris arundinum radicibus contusis, equos alere cogerentur. Hæc inquam mirabilis pugna Cæsaris fuit fossarum, castellorum, munitionum, imò famis & egestatis durissimo certamine, quo si vti perseuerasset, victus sine gladio Pompeius esset: At plagarum insolens, dum cupidiùs ad vindictam properat, institutam illam nouæ victoriæ palmam perdidit. Pompeius indicio perfugarum, Cæsaris imperfectas munitiones ingressus, centuriones primæ cohortis ferè omnes interfecit magnam'que præterea cædem fecit: ac ni tum Antonius primùm, tum Cæsar auxilio accurrissent, multò maius detrimentum intulisset: Hæc prima Cęsaris Dyrrhachina clades fuit, cuius sarciendæ caussâ Cęsar eodem temporis puncto quàm potuit occultissimè

mé progressus in Pompeij castra primò maiora, deinde minora irrumpit, & in his victor versatur. Sed fortuna, quæ plurimùm potest cùm in reliquis rebus, tum præcipuè in bello paruis momentis magnas rerum commutationes efficit (ait Cæsar fortunam cladis veluti ream faciens) Cæsariani in minoribus castris Pompeij dum munitiones quasdam sequuntur, à porta aberant: Interim Pompeius subsidio suis occurrit, omnia'que subitò mutantur: equitatus Cæsaris initium fugę facit, dextrū cornu in fossam decem pedū sese pręcipitat, primisq; oppressis, reliqui per eorum corpora salutem sibi atq; exitum pariebant: Sinistrum cornu eodem quo venerat receptu sibi consulit, omnia'que erant tumultus, timoris, fugæ plena, adeò, vt cùm Cæsar signa fugientium manu prehenderet & consistere iuberet, alij dimissis equis eundem cursum conficerent, alij ex metu etiam, signa dimitterent, neque quisquam omnino consisteret. Atque hic locus videtur esse, vbi aquilifer moranti Cæsari, cuspide comminatus est, vt ait Suetonius. Cæsar igitur eo tempore fugere coactus est: sed tantis malis hæc subsidia succurrerunt quò minùs omnis deleretur exercitus, quòd Pompeius insidias timens (credo, quòd hæc præter spem eius acciderant, qui paulò antè ex castris fugientes suos conspexerat) munitionibus appropinquare aliquandiu non audebat, equitésque

que eius angustis portis, atq; his à Cæsaris militibus occupatis, ad insequendum, tardabātur. Ita paruæ res magnum in vtramq; partem momentum habuerunt: Munitiones enim à castris ad flumen perductæ, expugnatis iam castris Pompeij, propriam & expeditam Cæsaris victoriam interpellauerunt, eadem res celeritate insequentium tardata Cæsarianis salutē attulit. Duobus his vnius diei prælijs, Cæsari desiderati sunt milites nongenti & sexaginta, & noti equites Romani quadringenti: Hæc secunda Cæsaris clades fuit, vbi (si verum Suetonius ait) negauit Cæsar Pompeium scire vincere, qui tantam occasionem secutus non esset: Sed vt Gergouiensi, sic Dyrrhachino malo magna medicina adhibita est: primum consolationis quòd antea secūdæ res multæ contigissent, hanc vnam fortunam industriâ & virtute esse subleuandam: quod si esset factum, detrimentū in bonum verteret, vti ad Gergouiam accidisset: tum animaduersionis de signiferis notatis, de quibus antè dixi: Itaque sarciendi detrimenti cupiditas incredibilis, vt Pharsalico bello dictum est, inde extitit: Sed tamen Gergouia & Dyrrhachium testimonia præbebunt quamlibet magnis Imperatoribus non semper ex animi sententia res secundas euenire,

PROPVGNATIO.

ATque hæc oppugnationum Romanarũ exempla sunt, propugnationum contraria exempla subducamus. Oppugnata ad Gergouiam castra Cæsaris diximus & tormentis præcipuè propugnata: Bibrax secundo libro sagittarijs & funditoribus aduersus Belgas defenditur: Castra, tum Q. Ciceronis, tum Cæsaris ad Ciceronem liberādum profecti oppugnantur, sed Ciceronis multò vehemētiùs & oppugnantur & propugnantur: Nam cùm subitò Neruij, quorum erant sexaginta millia, oppugnare cœpissent, Romani (quorũ vnica erat legio) celeriter ad arma concurrũt vallũq; conscendunt, atque ægrè is dies sustētatur: Mittuntur ad Cæsarem confestim à Cicerone literæ, magno tabellarijs proposito prœmio, sed obsessis omnibus vijs, missi intercipiuntur: propugnationis interim arma expediuntur: noctu ex ea materia, quam munitionis caussâ comportauerant, turres admodum centum viginti à Romanis excitantur incredibili celeritate: quæ deesse operi videbantur, perficiuntur: hostes postero die multò maioribus copijs coactis, castra oppugnant, fossam complent: à Romanis eadem ratione quâ pridie, resistitur. Hoc idem deinceps reliquis fit diebus: Romanorum manus perexigua erat: Itaque vigilantia & labore & machinarum artificio subleuanda. Nulla igitur pars nocturni temporis

poris ad laborem intermittitur, non ęgris, non vulneratis facultas quietis datur. Quæcunq; ad proximi diei oppugnationē opus sunt, noctu comparantur, multæ præustæ sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur, turres contabulantur, pinnæ loricæq; ex cratibus attexūtur: ipse Cicero cùm, tenuissima valetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat, vt vltrò militum concursu ac vocibus sibi parcere cogeretur. Ergo hæc tridui oppugnatio & propugnatio fuit. Interim Ciceronis animus, ab hostibus frustrà ad deditionem solicitatur. Itaque Neruij, sicut è Romana militia iam didicerant, omnia oppugnationis opera suscipiunt, vallo pedum vndecim & fossa pedum quindecim castra cingunt, turres ad altitudinem valli, falces testudines'que parare ac facere cœperunt. Septimo oppugnationis die, maximo coorto vento feruentes fusili ex argilla glandes fundis, & feruefacta iacula in casas, quæ more gallico stramentis erant tectæ, iacere cœperunt: hæ celeriter ignem comprehenderunt, & venti magnitudine, in omnem castrorum locum distulerunt. Hostes maximo clamore insecuti quasi partâ iam atque exploratâ victoriâ, turres testudines'que agere, & scalis vallum ascendere cœperunt. Hîc grauis oppugnatio instituitur, sed nec minor propugnatio cōparatur. Tanta enim Romanorum virtus atque

que ea præsentia animi fuit, vt cum vndique flammâ torrerentur maximaq́; telorum multitudine premerentur, sua'que omnia impedimenta atq; omnes fortunas conflagrare intelligerent, non modò demigrandi caussâ de vallo decederet nemo, sed penè, ne respiceret quidē quisquam, ac tum omnes acerrimè fortissime'que pugnarent. Hic dies Romanis longè grauissimus fuit: sed tamen hunc habuit euētum, vt eo die maximus numerus hostium vulneraretur atque interficeretur: vt se sub ipso vallo constipauerant recessum'que primis vltimi non dabant. Paulùm equidem intermissa flamma, & quodam loco turri adacta, & contingente vallum, tertiæ cohortis centuriones ex eo quo stabant loco, recesserunt, suos'que omnes remouerunt: ac nutu vocibus'que hostes, si introire vellent, vocare cœperunt: quorum progredi ausus est nemo: tum ex omni parte lapidibus coniectis deturbati, turris'que succensa est. Monuimus antea quàm liberalis in milites Cęsar fuerit: frumento, stipendio cæterisq; pręmijs, sed maxima virtutis præmia in laude & gloria ponūtur, quam bene meritis militibus Cæsar impensè attribuit. Ergo præconium imperatoris de duobus cēturionibus audiamus, Erant (ait Cæsar) in Ciceronis legione fortissimi viri centuriones, qui iam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulfio & L. Varenus: hi perpetuas inter se controuersias habebant

vter alteri anteferretur, omnibusq; armis de loco, summis simultatibus contendebant, ex iis Pulsio cùm acerrimè ad munitiones pugnaretur, Quid dubitas (inquit) Varene? aut quem locum probandæ virtutis tuæ expectas? hic dies de nostris controuersiis iudicabit. Hæc cùm dixisset, procedit extra munitiones & quæ pars hostiũ confertissima visa est, in eam irrumpit. Ne Varenus quidem sese tum vallo continet, sed omnium veritus existimationem, subsequitur. Tum mediocri spacio relicto, Pulsio pilum in hostes immittit, atque vnum ex multitudine procurrentem traiicit: quo percusso exanimato'que hunc scutis protegunt hostes & in illum vniuersi tela coniiciunt, neque dant regrediendi facultatem, transfigitur scutum Pulsioni & verutũ in balteo defigitur. Auertit hic casus vaginam & gladium educere conantis, dextram moratur manum, impeditum'que hostes circumsistunt, succurrit inimicus illi Varenus & laboranti subuenit, ad hunc se cõfestim à Pulsione omnis multitudo conuertit, illum veruto transfixum arbitrantur, Varenus rem gladio cominùs gerit, atque vno interfecto, reliquos paulum propellit. Dum cupidiùs instat: in locum inferiorem deiectus concidit: huic rursus circumuento fert subsidium Pulsio atque ambo incolumes compluribus interfectis summâ cum laude sese intra munitiones recipiunt: Sic fortuna in contentione & certa-

certamine, vtrumque versauit, vt alter alteri inimicus, auxilio saluti'que esset, neque dijudicari posset vter vtri virtute anteferendus videretur. Quanto erat in dies grauior atque asperior oppugnatio, & maximè quod magnâ parte militum confectâ vulneribus res ad paucitatem defensorum peruenerat, tantò crebriores literę nuntij'que ad Cæsarem mittebantur, quorum pars deprehensa, in conspectu Romanorum militum cum cruciatu necabatur. Erat vnus intus Neruius, nomine Vertico, loco natus honesto, qui à prima obsidione ad Ciceronem profugerat, suam'que ei fidem præstiterat: hic, seruo spe libertatis magnis'que persuadet præmijs vt literas ad Cæsarem deferat, has ille in iaculo illigatas effert, & Gallus inter Gallos sine vlla suspicione versatus, ad Cæsarem peruenit, ab eo de periculo Ciceronis legionis'que cognoscitur. Horribilis illa Cæsaris vigilantia, celeritas, diligentia multis antea documẽtis perspecta est: hîc etiã potest imprimis animaduerti: Attendamus igitur quid ipse de se loquatur, Cæsar acceptis literis hora circiter vndecima diei, statim nuncium in Bellouacos ad M. Crassum Quæstorem mittit, cuius hyberna aberant ab eo millia passuum xxv. iubet mediâ nocte legionem proficisci celeriter'que ad se venire. Exit cum nuncio Crassus, alterum ad C. Fabium legatum mittit, vt in Atrebatium fines legionem adducat, quâ

sibi iter faciendum sciebat. Scribit Labieno, si Reipub. commodo facere posset, cum legione ad fines Neruiorum veniat, reliquam partem exercitus, quòd pauló aberat longiu's, non putat expectandã. equites circiter quadringẽtos ex proximis hybernis colligit. Hora circiter tertia ab antecursoribus, de crassi aduentu certior factus, eo die millia passuum xx progreditur. Fabius non ita multum moratus in itinere cum legione occurrit, Labienus Treuirorum bello distinetur. Cæsar etsi opinione trium legionum deiectus, ad duas redierat: tamẽ vnum communis salutis auxilium in celeritate ponebat, venit magnis itineribus in Neruiorũ fines: ibi ex captiuis cognoscit quæ apud Ciceronem gerantur, quandoq; in periculo res sit: Tum cuidam ex equitibus Gallis, magnis premijs persuadet vti ad Ciceronem epistolam deferat: hanc græcis conscriptam literis mittit, ne intercepta epistola, Romanorum ab hostibus consilia cognoscantur, si adire non posit, monet vt tragulam cum epistola ad amentum deligatâ intra munitionem castrorũ adijciat: in literis scribit, se cũ legionibus profectum celeriter affore, hortatur vt pristinam virtutem retineat. Gallus periculum veritus vt erat præceptum, tragulam mittit, hæc casu ad turrim adhæsit neque à Romanis biduo animaduersa, tertio die à quodam milite conspicitur, dempta, ad Ciceronem defertur, ille

ille, perlectam in conuentu militum recitat, maximaq́ue omnes lætitiâ afficit: Tum fumi incendiorum, procul videbantur, quæ res omnem dubitationem aduẽtus legionum expulit. Adhuc oppugnatus est Tullius, deinceps Cæsar oppugnabitur. Galli re cognitâ, per exploratores, obsidionem relinquunt, ad Cæsarem omnibus copiis contendunt. Hæ erant armatorum circiter millia LX. Cicero data facultate Gallum ab eodem Verticone quem suprà demonstrauimus, repetit, qui literas ad Cæsarem deferat. Hunc admonet iter cautè diligenterq́ue faciat, perscribit in literis hostes ab se discessisse omnem'que ad eum multitudinem conuertisse: quibus literis circiter media nocte Cæsar allatis suos facit certiores eos'que ad dimicandum animo confirmat. Postero die primâ luce mouet castra & circiter millia passuum quatuor progressus, trans vallem magnam & riuum multitudinem hostium conspicatur. Hîc verò Cæsaris ingenium singulare est in simulatione paucitatis & timoris, quò faciliùs in confusionem & locum iniquiorem hostem adduceret; Erat (ait) magni periculi res, cum tantis copiis, iniquo loco dimicare: Tunc, quoniam liberatum obsidione Ciceronem sciebat, eo'que omnino remittendum de celeritate sciebat, consedit, & quàm æquissimo loco potest, castra communit, atque hæc etsi erant exigua per se, vix hominum millium septem

præsertim nullis cum impedimentis: tamen angustijs viarum quammaximè potest contrahit: eo cõsilio vt in summam contemptionem hostibus veniat. Interim speculatoribus in omnes partes dimissis explorat quo commodissimè itinere vallem transire possit. Eo die paruulis equestribus prelijs ad aquam factis, vtrique sese suo loco continent: Galli, quòd ampliores copias quæ nondum conuenerant, expectabant: Cæsar, si fortè timoris simulatione hostes in suum locum elicere posset, vt citra vallem pro castris prælio contenderet: si id fieri posset, vt exploratis itineribus, minore periculo vallem riuum'que transiret. Primâ luce hostium equitatus ad castra accedit prælium'que cum Romanis equitibus committit. Cæsar consultò equites cedere se'que in castra recipere iubet: simul ex omnibus partibus, castra altiore vallo muniri portas'que obstrui, atque in his administrandis rebus, quam maximè concursari & cum simulatione agi timoris iubet: quibus omnibus rebus hostes inuitati, copias traducunt, aciem'que iniquo loco constituunt: Romanis verò etiam de vallo deductis, propiùs accedunt & tela intra munitionem ex omnibus partibus conijciunt, præconibus'que circummissis pronunciari iubent seu quis Gallus, seu quis Romanus velit ante horam tertiam ad se transire, sine periculo licere, post id tempus, non fore potestatem:

ac sic Romanos contempserunt, vt obstructis in speciem portis singulis, ordinibus cespitũ, quòd eà non posse introrumpere videbantur, alij vallum manu scindere, alij fossas complere inciperent. Tum Cæsar omnibus portis eruptione factâ equitatu'que emisso, celeriter dat hostes in fugam, sic vt omnino pugnandi causâ resisteret nemo: magnum'que ex ijs numerum occidit, atque omnes armis exuit: Longius prosequi noluit, veritus, quòd syluæ paludes'que intercedebant, neque etiam paruulo detrimento illum locum relinqui videbat. Omnibus suis incolumibus eodem die ad Ciceronem peruenit: Institutas turres, testudines, munitiones'que hostium admiratur, Legione productâ cognoscit non decimum quẽque esse relictum militem sine vulnere: Ex his omnibus iudicat rebus quanto cum periculo & quanta virtute res sint administratæ: Ciceronem pro eius merito, legionem'que collaudat, Centuriones sigillatim Tribunos'que militum appellat, quorum egregiam fuisse virtutem testimonio Ciceronis cognouerat. Hactenus igitur egregium Cæsarianæ propugnationis exemplum habemus, vbi loci æquitas, ordo, cohortatio, eruptione contra loci iniquitatem, confusionem, stultæ confidentiæ temeritatem, victoriam præclaram attulit. Laudauit Cæsar separatim Pulsionem & Varenum, tandem reliquos etiam Centuriones Tri-

bunos'que militum, quorum egregiam fuisse virtutem legati testimonio cognouerat. Ergo hæc stipendia sunt laudis ab Imperatore generosis militibus longè charissima, quæ cum pecunia, veste, annona, cæteris'que stipendijs præstantium animorum iudicio comparanda nequaquam sunt. Hæc Cæsaris historia est, vnde magnam prudētiam non solùm in castrorum forma videmus tanquam septem tātùm milliū cùm millia, viginti quatuor essent, si duæ legiones suis auxilijs essent instructæ, sed in reliquarum viarum & vniuersi timoris simulatione. Cōsilio simulationis & simili dolo vsi tum Galba contra Sedunos & Veragros in Alpibus, tum Sabinus contra Vnellos, tum Labienus contra Treuiros, victoriā similem adepti sunt. Vnum verò Cæsarianæ propugnationis strategema prætermittendum nequaquam censui. Cneius Pompeius filius Vllam oppidum Hispaniæ oppugnabat (ait Oppius) & ferè iam aliquot mensibus ibi distinebatur, quo ex oppido, cognito Cæsaris aduentu, legati clam præter præsidia Cnei Pompeij Cæsarem cùm adissent, petere cœperunt, vt sibi primo quoque tempore subsidium mitteret: Cæsar eam ciuitatem omni tempore optimè de populo Romano meritam esse sciens celeriter sex cohortes secundâ vigiliâ iubet proficisci pari'que equites numero, quibus præfecit hominem eius prouinciæ notum & non parùm scientem L.

Iunium

Iunium Patiecum, qui cùm ad Cne. Pompeij præsidia venisset, incidit id temporis, vt tempestate aduersa vehementi'que vento afflictaretur: qua vi tempestatis ita obscurabatur vt vix proximum cognoscere posset: cuius incõmodum summam vtilitatem ipsis præbebat. Ita cùm ad eum venerunt. iubet binos equites incedere, & rectâ per aduersariorum præsidia ad oppidum contendere, medijs'que ex præsidijs, cùm quæreretur qui essent, vnus ex Cæsarianis respondit vt sileat, verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere vt oppidum capiant, & partim, tempestate impediti vigiles, non poterant diligentiam præstare: partim illo responso deterrebantur, cùm ad portam appropinquassent, signo dato ab oppidanis sunt recepti, & pedites equites'que clamore facto dispositis ibi partim qui remansere, eruptionem in aduersariorum castra fecerunt: sic illud cùm inscientibus accidisset, existimabat magna pars hominum qui in castris fuissent, se propè captos esse. Oppugnationis & propugnationis exempla separatim posita sunt: sed Romana ad Alexiam oppugnatio propugnatio'que longè laboriosissima omnium prestantissima'que fuit: Fuit autem Alexia, oppidum Mandubiorum, in colle summo, admodum edito loco, cuius collis radices duæ duabus ex partibus flumina subluebant: Ante oppidum planities circiter millibus passuum tri-

bus in longitudinem patebat, reliquis ex omnibus partibus, colles mediocri interiecto spacio, pari altitudinis fastigio oppidum cingebant: huc Vercingetorix cum octoginta millibus Gallorum sese receperat, partem'que collis ad orientem copijs illis compleuerat, fossam & materiam, sex in altitudinem pedum perduxerat. Cæsar ad Alexiam locis idoneis decem legionum auxiliorum'que omnium quæ gallicis antè, bellis habuerat, castra posuit: Quotuplicia verò, ipse non exprimit: at res minimùm bina docet fuisse: Alia enim summum vndique iugum tenebant, vnde despectus erat in omnes partes: alia ad collem, versus Septentriones loco leniter decliui: castella præterea viginti tria fecit, quibus in castellis interdiu stationes disponebantur, ne qua, subitò irruptio fieret. Hæc eadem noctu excubitoribus ac firmis præsidijs tenebantur: In planitie illa, primùm fit equestre prælium, vbi laborantibus Romanis, Germani equites subsidio summissi & legiones pro castris præsidio constitutæ, Gallos in fugam coniecerunt. Hoc equitum subsidium, hoc legionum præsidium victoriæ caussa fuit: & victoriæ Cæsaris, vt superioribus bellis patuit, ab his caussis oriũtur. Vercingetorix equitatum in omnes Galliæ partes dimittit ad omnes Gallos qui arma ferre possent cogendum: Commeatum in triginta dies parcè distribuit, atque ita auxilia Galliæ expectare constituit.

tuit. Cæsar interea Alexiam circumuallat, maximis & propè incredibilibus aduersus & interiorem & exteriorem hostem operibus, vt quoniam loco superior hostis esset, locum sibi diligentia faceret ad vincendum æqualem vel etiam superiorem. Legionarij fossores illi, materiarij, frumentarij tam multis antè exemplis laborem suum quamuis propè improbabilem, tamen probauerunt: sed hoc imprimis exemplo probare possunt: Ista enim militia tota ferè est ligonum, palarum, securium, agricolarum denique veriùs quàm militum. Cæsar igitur legionariorum opera aduersus hostem interiorem, circuitu vndecim millia passuum complexus est, fossas tres ingentes duxit, primam & vrbi proximam pedum viginti directis lateribus, vt eius sŏlum tantundem pateret, quantum summæ fossæ labra distabant: reliquas fossas ab ea pedes quadringentos reduxit, & quinos denos pedes latas eâdem altitudine perduxit: interiorem campestribus ac demissis locis aquâ ex flumine deriuatâ cõpleuit: post eas aggerem & vallum duodecim pedum extruxit: huic loricam pinnas'que adiecit grandibus ceruis eminẽtibus ad commissuras pluteorum atque aggeris, qui ascensum hostium tardarent, & turres toto opere circundedit, quę pedes octoginta inter se distarent. Erat (ait Cæsar) eo tempore & materiari & frumentari & tantas munitiones fieri necesse, dimi-

nutis Romanis copijs quæ lõgiùs à castris progrediebantur & nonnunquam opera Romana Galli tentare, atq; eruptionem ex oppido pluribus portis facere summâ vi conabãtur. Quare ad hæc rursus opera addendum Cęsar putauit, quò minore numero militum munitiones defendi possent: Quæ'nam sunt igitur ista & aduersus quos opera? aduersus interiorem (inquam) hostem illo quadringentorum pedum interuallo triplices munitiones factæ sunt cipporum, liliorum, stimulorum. Quid igitur? qui'nam hi cippi aut cuiusmodi fuerunt? Truncis arborum, haud admodum firmis ramis abscissis atque horum delibratis ac præacutis cacuminibus perpetuæ fossæ quinos pedes altæ ducebantur. Huc illi stipites demissi & ab infimo reuincti, ne reuelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines coniuncti inter se atque implicati, quò qui intrauerant, se ipsi acutissimis vallis induebant, hos, cippos appellabant. Hoc primum genus munitionis fuit: lilia deinde definiuntur, Ante cippos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes, quinque in altitudinẽ pedum fodiebantur, paulatim angustiore ad infimum fastigio: huc teretes stipites feminis crassitudine ab summo præacuti & pręusti demittebãtur, ita vt nõ amplius quatuor digitis, ex terra eminerent: simul confirmandi & stabiliendi caussâ singuli ab infimo solo, pedes tres

terrâ

terrâ exculcabantur, reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur. Octoni ordines ducti, ternos inter se pedes distabant: Id ex similitudine floris, liliũ appellabant. Hoc igitur secundum munitionis genus fuit: tertium superest. Ante lilia illa, taleæ pedem longæ, ferreis hamis infixis totæ in terram infodiebantur mediocribus'que intermissis spacijs, omnibus locis disserebantur, quos stimulos nominabant. Ergo hæc munitionum inter proximam vrbi & secundam fossam genera fuere, cipporum vallis acutissimis eminentium, liliorum, pręustis & præacutis stipitibus, quatuor digitis apparentium: stimulorum, penitus in terram defixorum & tãtum hamis carpentium. Labores hi, permagni sunt: Attende tamen quid deinceps à Cæsare commemoretur. His rebus perfectis Cæsar legiones secutus quàm potuit æquissimas, pro loci natura, quatuordecim millia passuum cõplexus, pares eiusdem generis munitiones, diuersas ab his contra exteriorem hostem perfecit vt ne magna quidem multitudine, si ita accideret, eius discessu, munitionum præsidia circumfundi possent. Incredibiles sunt illi aduersus interiorem hostem labores: pares tamen sunt (ait Cæsar) & eiusdem generis aduersus exteriorem hostem labores: imò verò tantò maiores, quantò maior ambitus fuit: vndecim millia passuum primus ambitus habuit: po-

ſtremus hic, quatuordecim tenuit: Ac ne mate riariari tantum legiones existimes, non etiam frumentari, attende quid hic faciat. Obſidebat Gallos qui ſibi in triginta dies frumentum prouidiſſent: Intelligebat Cæſar, ſe pauló poſt ab exterioribus hoſtibus obſeſſum iri. Quid igitur? Ne cum periculo (ait) legiones ex caſtris egredi cogerẽtur, dierum triginta, pabulum frumentúmque habere omnes conuectum iubet, Commeatus interiori hoſti, menſem ſuppetebat, commeatum Cæſar ſuis in menſem, ſed cõſequentem ſuppetere voluit. Neque iam dimidiati, vt Tullius ait, ſed integri menſis cibaria miles habet. Ergo præterito menſe, fames obſeſſos vrgere cœpit: alij'que deditionem, alij eruptionem. Critognatus etiam corporibus eorum qui ad bellum inutiles eſſent tolerandam famem cenſuit. Manubij, à quibus eſſent in oppidum recepti, cum liberis atque vxoribus, ex vrbe exire cogũtur: hi cùm ad munitiones Romanorum acceſsiſſent, flentes, omnibus precibus orabant, vt ſe in ſeruitutem receptos, cibo iuuarent: Hos Cæſar, diſpoſitis in vallo cuſtodibus, recipi prohibebat. Auaricum antea & Gergouia Gallos docuerant, quantum imbellis in obſeſſa vrbe multitudo detrimentum haberet: Alexiæ fames tertium idem docet. At ſerò ſapiunt Phryges & callidus hoſtis ne in ſeruitutem quidem deditos accipit: eorum vitâ reliquorum vitam oppugnat. Sed interim

gallica

gallica auxilia adueniunt equitum millia o-
cto, peditum circiter ducenta quadraginta, à
quibus prælium triplex acerrimum instituitur:
primum, equestre extra munitiones: Interio-
res itaque Galli visis auxilijs, vt ex oppido de-
spectus erat in campum, ante oppidum consi-
dunt: proximam fossam cratibus integunt &
explent aggere, se'que ad eruptionem & om-
nes casus comparant. Cæsar vt castra ad muni-
tiones & exteriores & interiores fecerat, omni
exercitu ad vtramque partem munitionum di-
sposito, vt suum quisque locum nosceret & te-
neret, equitatum ex castris educi & prælium
committi iubet. Res in conspectu & Gallorum
& Romanorum gerebatur: Itaque vtrosque &
laudis cupiditas & timor ignominiæ ad virtu
tem excitabat: Galli inter equites, raros sagitta
rios expeditos'que leuis armaturæ interiece-
rant, qui suis cedentibus, auxilio succurrerent:
& Romanorum equitum impetus sustinerent:
ab his complures Romani de improuiso vul-
nerati, prælio excedebant. Cùm suos pugnâ su
periores esse Galli confiderent, & Romanos
multitudine premi viderent, ex omnibus par-
tibus & ij qui munitionibus continebantur, &
ij qui ad auxilium conuenerant clamore & v-
lulatu, suorum animos confirmabant. Hæc e-
rat nimirum Gallorum inter se cohortatio.
Hoc prælium primum, octo perpetuas horas
(nam æstatis summæ, tempus illud erat) ma-

gna

gna contentione concertatum est. Tandem recens subsidium Germanorum equitum Romanis submissum, victoriam attulit, vt in cæteris antè prælijs, opportuna subsidiorum summissio, victoriæ caussâ fuit. Secundum prælium, noctu, vt ad Auaricum antè fuit, factum est ad campestres munitiones vno die intermisso: hoc enim spacio Galli magno cratium, scalarum, harpagonum numero effecto, media nocte silentio ex castris egressi, ad campestres munitiones accedunt. Subito clamore sublato, quâ significatione, qui in oppido obsidebantur de suo aduentu cognoscere possent, crates proijcere, fundis, sagittis, lapidibus Romanos de vallo deturbare, reliqua'que quæ ad oppugnationem pertinent, parant administrare. Eodem tempore clamore exaudito dat tubâ signum suis Vercingetorix, atque ex oppido educit. Romani, vt superioribus diebus suus cui'que erat locus attributus, ad munitiones accedunt: fundis libralibus sudibus'que, quas in opere disposuerant, ac glandibus Gallos perterrent: hæc siquidem prælij huius arma sunt. Prospectu tenebris adempto, multa vtrinque vulnera accipiuntur, complura tormentis tela conijciuntur. At M. Antonius & C. Trebonius legati, quibus hæ partes ad defendendum obuenerant, qua ex parte Romanos premi intellexerant, his auxilio ex vlterioribus castellis deductos summittebant. Dum longiùs

à mu-

à munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant: posteaquam propius successerunt, aut se ipsi stimulis inopinantes induebant, aut in scrobes delapsi transfodiebantur, aut ex vallo & turribus traiecti, pilis muralibus interibant. Hic munitiones illę Cæsaris tam laboriosæ aduersus Gallos per se acriùs præliantur, quàm legionarius vllus potuisset. Multis vndique vulneribus acceptis, nulla munitione perrupta cùm lux appeteret, Galli veriti ne ab latere aperto ex superioribus castris eruptione circumuenirentur, se ad suos receperunt. At interiores, dum ea quæ à Vercingetorige ad eruptionem præparata erant proferunt, priores fossas explent. Diutiùs in his rebus administrandis morati, priùs suos discessisse cognouerunt, quàm munitionibus appropinquarent. Ita re infectâ in oppidum reuerterunt. Sic prælium secundum est factum. Tertium prælium grauissimum omnium atque acerrimum fuit. Bis magno detrimento repulsi Galli, quid agant consulunt: Minorum castrorum collem propter magnitudinem circuitus, Romani complecti non potuerant. Vergasillaunus Aruernus vnus è quatuor vniuersæ Galliæ delectis principibus, cum sexaginta millibus ex omni numero delectis, eò primâ vigiliâ ante ortum Solis peruenit, occultis'que locis milites ex nocturno labore reficit. Tum circa meridiem, quod

pugnæ

pugnæ tempus inter Gallos conuenerat munitiones aggreditur. Eodem tempore equitatus Gallorum ad campestres munitiones accedere & reliquæ copiæ sese pro castris ostendere cœperunt. Vercingetorix ex arce Alexiæ, suos cōspicatus, ex oppido egreditur ac rastros, longurios, musculos, falces reliquáque quæ eruptionis caussâ parauerat, profert. Pugnatur vno tempore omnibus locis, atque omnia tentantur: quæ minimè firma pars visa est, huc cōcurritur. Cæsar hîc ait omnibus locis vno tempore pugnari: certè quatuor locis minimùm pugnatur ad superiores munitiones à Vergasillauno, ad campestres ab equitatu, alio loco ab obsessis, à reliquis Gallis alio. Romanorum manus tātis munitionibus distinetur nec facilè pluribus locis occurrit: multùm ad terrendos Romanos valuit clamor, qui post tergū pugnantibus extitit. Hæc erat gallica cohortatio, cùm vtrinque Romani ab interioribus & exterioribus Gallis diuerso loco vrgerentur. Sed animaduerte horribilem illam Cæsaris vigilantiam, celeritatem, diligentiam. Copiarū virib. aut æqualis aut etiam superior erat, loco etiam tum superior erat, multóque erat difficilius Cæsaris quàm Alexiæ munitiones perrūpere. Ordo & cohortatio ad victoriā testabant in ordinando & cohortando. Cæsar igitur, (ait ipse) idoneum locum nactus, quid quâque in parte geratur cognoscit, vtrisque ad omnia occurrit,

currit, videt vnum esse illud tempus quo maximè contendi conueniat. Galli, nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant: Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium expectant. Maximè ad superiores munitiones laboratur, quò Vergasillaunum missum demonstrauimus. Iniquum loci ad decliuitatem fastigium, magnum Gallis affert momentum. Alij tela coniiciunt, alij testudine facta subeunt: defatigatis inuicem integri succedunt: agger ab vniuersis in munitionem coniectus & ascensum dat Gallis, & ea quæ in terra occultauerant Romani, contegit, nec iam arma Romanis, nec vires suppetunt. Quid igitur Cæsar? His rebus cognitis Labienum cum cohortibus sex subsidio laborantibus mittit, & imperat, si sustinere non posset, deductis cohortibus, eruptione pugnaret, id nisi necessariò, ne faciat. Ipse adit reliquos, cohortatur ne labori succumbant. Omninm superiorum dimicationum fructũ in eo die atque hora docet consistere. Interiores Galli desperatis campestribus locis, propter magnitudinem munitionum loca prærupta ex ascensu tentant: huc ea quæ parauerant conferunt: multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant: aggere & cratibus fossas explent: falcibus vallum ac loricam rescindunt. Quid in tanta rerum difficultate Cæsar? Mittit primò Brutum adolescentem cum cohortibus sex, pòst cum

aliįs ſeptem C. Fabium Legatum: poſtremò ipſe cùm vehemētiùs pugnaretur, integros ſubſidio adducit. Reſtituto prælio ac repulſis hoſtibus, in alias partes animum intendit, neciam cladem repellere, ſed victoriam parare meditatur: Eò quò Labienum miſerat, contendit: cohortes quatuor ex proximo caſtello deducit: equitum ſe partem ſequi, partem circuire exteriores munitiones, & à tergo hoſtes adoriri iubet. Id nimirum eſt, quod à Vercingetorige in obſidione Auarici prætermiſſum diximus, & nunc à Cæſare ſtudioſè prouiſum & procuratum præcipua victoriæ cauſſâ fuit. Labienus, poſtquam neque aggeres, neque foſſæ, vim hoſtium ſuſtinere poterant, coactis vnde quadraginta cohortibus, quas ex proximis præſidiįs deductas fors obtulit, Cæſarem per nuncios facit certiorem quid faciendum exiſtimet. Ecquid (inquam) Cæſar in extremo diſcrimine? Accelerat, vt prelio interſit, eius'que aduentus ex colore veſtitus, agnoſcitur turmis'que equitum & cohortibus viſis, quas ſe ſequi iuſſerat, vt de locis ſuperioribus ac decliuibus & deuexis cernebantur, Galli prælium committunt. Vtrinque clamore ſublato excipitur rurſus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor: Communis erat etiam Romanis iſta cohortatio: Romani miſsis pilis, gladiįs rem gerunt. Repentè poſt tergum, equitatus cernitur: cohortes aliæ appropinquant: hoſtes, terga

vertunt,

vertunt, fugientibus equites occurrũt. Fit magna cædes. Sedulius dux & princeps Lemouicũ occiditur. Vergasillanus Aruernus, viuus in fuga cõprehenditur: Signa militaria septuaginta quatuor ad Cæsarem referuntur: pauci ex tanto numero, se incolumes in castra recipiunt. Interiores Galli conspicati ex oppido cædem & fugã eorũ, desperatã salute, copias à munitionibus reducunt: Fit protinus hâc re auditâ, ex castris, Gallorum fuga. Quod nisi crebris subsidijs ac totius diei labore milites essent defessi, omnes hostiũ copiæ deleri potuissent. De media nocte missus equitatus, nouissimũ agmen cõsequitur, magnus numerus capitur atque interficitur, reliqui ex fuga in ciuitates discedũt. Quid plura? obsessi deduntur, arma traduntur, principes producũtur: è captis prædę nomine singula capita militibus distribuũtur: reseruatis tamen Heduorum & Auernorũ viginti millibus, si per ipsos Cęsar ciuitates eorũ recuperare posset Sic Cęsar victoriâ vti didicerat. Atq; ita captiuis his redditis, maiorem etiam victoriam adeptus est: Duas enim nõ Alexias, sed totius Galliæ longè potẽtissimas Aruernorum & Heduorum ciuitates recepit.

DE PRAELIO NAVALI.

AQuis eadem bella propemodũ gerũtur quæ terris: Nã & patẽti æquore concur-

m ritur

ritur & maritimę vrbes oppugnãtur ac propugnãtur. Nauale Cęsaris pręliũ in Gallia Veneticum & Britãnicum est. Ad Veneticũ bellũ Cæsar naues longas in Ligeri ædificauit, remiges ex prouincia instituit, nautas gubernatoresq́ comparauit Venetę naues, ex robore confectę erant: Transtra ex pedalibus in altitudinem trabibus, confixa clauis ferreis, digiti pollicis crassitudine: Carina planior erat, proræ ac puppes erectæ, anchoræ pro funibus, ferreis cathenis reuinctæ, pelles pro velis alutæ'que tenuiter confectæ. Cum his nauibus Romanæ classi eiusmodi cõgressus erat, vt vna celeritate & pulsu remorum præstaret, reliqua pro loci natura, pro vi tempestatum illis essent aptiora & accommodatiora: Neque enim his Romanæ, rostro nocere poterant, tanta in his erat firmitudo: neque propter altitudinem, facile telum adijciebatur, & eadem de caussa minùs commodè scopulis continebantur. Accedebat, vt cùm sæuire ventus cœpisset & se vento dedissent, & tempestatem ferrent faciliùs, & in vadis consisterent tutiùs, & ab æstu derelictæ nihil saxa & cautes timerent. Quarum rerum omnium Romanis nauibus casus erat extimescendus. Vbi igitur classis conuenit ac primùm ab hostibus visa est, circiter ducentæ viginti naues eorum paratissimæ, atque omni genere armorum ornatissimæ è portu profectæ, Romanis aduersæ constiterunt. Cæsaris classis numero

maior fuit, vt mox videbitur significari. Neq; tamen satis Bruto, qui classi præerat, vel tribunis militum centurionibus'que, quibus singulæ naues erant attributæ, constabat, quid agerent, aut quam rationem pugnę insisterent: Rostro enim, noceri non posse cognouerant. Turribus autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex gallicis nauibus superabat, vt neque ex inferiore loco satis commodè tela adijci possent, & missa, à Gallis grauius acciderent. Vna erat magno vsui res præparata à Romanis, falces præacutæ, insertæ affixæ'que longurijs, nõ absimili forma ruralium falcium. His cùm funes qui antennas ad malos distinebant, comprehensi adducti'que erant, nauigio remis incitato prærumpebantur: Quibus abscissis, antennæ necessariò concidebant, vt cùm omnis gallicis nauib. spes in velis armamentis'que consisteret, his ereptis, omnis vsus nauium vno tempore eriperetur. Reliquum erat certamen positum in virtute, quâ Romani milites facilè superabant, atque eò magis, quod in cõspectu Cæsaris atque omnis exercitus res gerebatur, vt nullum paulò fortius factũ latere posset: Omnes enim colles & loca superiora vnde erat despectus propinquus in mare, ab exercitu tenebantur: Atque ea videlicet militibus velut in theatro decurrẽtibus magnæ cohortationis alacritas fuit, quòd exercitum, quòd Cæsarem imprimis spectatorem & iudicem virtutis

haberent. Disiectis igitur (vt diximus) antennis, cùm singulas Veneras, binæ aut ternæ Romanæ naues circunsisterēt, tanta nempe Cæsarianarum nauiū classis fuit, milites summâ vi transcendere in hostium naues contendebant. Quod postquā Veneti fieri animaduerterunt, expugnatis cōpluribus nauibus, cū ei rei nullum reperiretur auxiliū fugâ salutem petere cōtendebant. Ac iam cōuersis in eam partem nauibus quò ventus ferebat, tanta subitò malacia ac tranquillitas extitit vt se loco cōmouere nō possent. Cęsar in suis rebus secundis non solet appellare fortunam, vt dixi: Attamē mulieres & imbres Auaricēses fortuna Cæsari ad victoriam cōmilitones dedit: Attamē hîc rursum ventos ipsos cōmilitones dedit. Atq; hîc Pompeianæ felicitatis illud quod à Tullio memoratur verū fuit, vt Cęsaris voluntatibus nō modo ciues assenserint, socij obtēperarint, hostes obedierint, sed etiā vēti tempestatesq; obsecundarint: nec Cæsar diffitetur, Hæc res (ait) ad negotium conficiendū maximè fuit opportuna: Nam singulas Romani consectati ita expugnauerunt, vt perpaucæ ex omni numero, noctis interuētu ad terrā peruenerint, cùm ab hora ferè quarta vsq; ad solis occasum pugnaretur. Quo prælio bellum Venetorum totiúsque oræ maritimæ cōfectum est: Nam cùm omnis iuuentus, omnes etiam grauioris ætatis, in quibus aliquid cōsilij aut dignitatis fuit,

eò conuenerant: tum nauium, quod vbiq; fuerat, vnum in locum coëgerāt: quibus amissis, reliqui neq; quò se reciperēt, neq; quemadmodum oppida defenderent, habebant: Itaque se suaq; omnia Cæsari dediderūt: In quos eò grauius Cæsar vindicandum statuit, quò diligentius in reliquum tēpus à Gallis ius legatorum (quos Veneti recuperādorum obsidum suorum caussâ retinuerant) cōseruaretur. Itaq; omni Senatu necato, reliquos sub corona vēdidit. H^c Cæsar clementiæ suæ immemor fuisse videtur: nulla tot belli eius maior seueritas animaduertitur. Ad huc Cęsaris est historia, vbi naualis prælij instrumēta cernimus, rostra ipsa nauiū tanquā arietum, deinde turres & falces Secunda Cæsaris expeditio naualis in Gallia libro quarto traditur, si tamen nauale pręlium dicendum sit, quod in littore, partim è nauibus, partim à peditibus & equitibus cōmittitur. Nauibus circiter octoginta onerarijs coāctis cōtractisq;, quod satis esse ad duas legiones transportādas existimabat quicquid præterea nauiū lōgarū habebat, Quæstori Legatis præfectisq; distribuit: Huc accedebāt octodecim onerarię naues quæ ex eo loco millibus passuū octo, vēto tenebātur, quò minùs in eundem portū peruenire possēt: Has equitibus distribuit, reliquum exercitū in Gallia reliquit. Publ. Sulpitiū Rufum legatum cum eo præsidio quod satis esse arbitrabatur, portū tenere

 iussit.

iussit. His constitutis rebus nactus idoneam ad nauigãdũ tempestatẽ, tertiâ ferè vigiliâ soluit, equitesq́ in vlteriorem portũ progredi, & naues conscẽdere ac se sequi iussit, à quibus cum id paulò tardius esset administratum, ipse horâ circiter diei quarta cum primis nauib. Britãniã attigit, atq; ibi in omnibus collibus expositas hostiũ copias armatas cõspexit: Cuius loci hęc erat natura, atq; ita mõtibus angustis mare cõtinebatur, vti ex locis superiorib in litus telum adijci posset: hunc ad egrediendum locum nequaquã idoneũ arbitratus, dum reliquæ naues eò conuenirent, ad horam nonam in anchoris expectauit: Interim legatis tribunisq́; militum conuocatis, & quæ ex Voluseno cognouisset & quæ fieri vellet ostendit, monuitq́; (vt rei militaris ratio maximéque vt res maritimæ postularent) vt quia celerem atque instabilem motum haberent, ad nutum & ad tempus omnes res ab his administrarentur. His dimissis & ventum & æstum vno tempore nactus secundum, dato signo & sublatis anchoris, circiter millia passuũ octo ab eo loco progressus aperto ac plano litore naues constituit: At Britanni consilio Romanorũ cognito, præmisso equitatu & essedarijs (quo plerunque genere in prę lijs vti consueuerunt) reliquis copijs subsecuti, Romanos nauibus egredi prohibebãt. Erat ob has caussas summa difficultas, quòd naues propter magnitudinem nisi in alto constitui

non

non poterãt. Hinc præliũ illud é tam varijs generib. nauali, pedestri, equestri permistũ committitur: Militibus aũt, ignotis locis, impeditis manib. magno & graui onere armorũ pressis, simul & de nauib. desiliendũ & in fluctibus consistendũ, & cum hostibus erat pugnãdum, cùm illi aut ex arido aut paulũ in aquã ꝓgressi, omnib. mẽbris expeditis, notissimis locis, audacter tela cõijcerent & equos insuefactos incitarent. Quibus rebus Romani perterriti atque huius omnino generis pugnæ imperiti, nõ eadem alacritate ac studio quo in pedestribus vti prelijs consueuerat, vtebãtur. Quod vbi Cęsar animaduertit, naues longas, quarum & species Britannis erat inusitatior & motus ad vsum expeditior paulum remoueri ab onerarijs nauib. & remis incitari, & ad latus apertum hostium constitui, atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac summoueri iussit: quæ res magno vsui Romanis fuit: Nam & nauium figurâ & remorum motu & inusitato genere tormentorum permoti Britanni constiterunt, ac paulum modò pedem retulerũt, Sic antea Suessiones & Aduatici machinis inuisis & inauditis permoti sunt. Tum decimæ legionis aquilifer cohortatione & exemplo virtutis, causam victoriæ attulit: Romanis enim militibus cunctantibus, maximè propter altitudinẽ maris: ꝗ decimæ legionis aquilã ferebat, cõtestatus deos, vt ea res legioni feliciter eueniret, Desilite

 (inquit)

(inquit) cõmilitones, nisi vultis aquilã hostib. prodere. ego certè meũ Reip. atq; imperatori officiũ præstitero. Hoc cùm, magnâ voce dixisset, se ex naui ꝓiecit atq; in hostes aquilã ferre cœpit: Tũ Romani cohortati inter se ne tantũ dedecus admitteretur, vniuersi ex naui desilierunt: Hos itẽ alij ex primis proximis nauibus cũ cõspexissẽt subsecuti, hostibus appropinquarũt. Hic cohortatio magna est è signifero legionis decimæ inter omnes Cæsaris legiones omnibus prælijs celebratissimæ Pugnatũ est ab vtrisq; acriter, Romani tamẽ quòd neq; ordines seruare, neq; firmiter insistere, neq; signa subsequi poterant, atq; alius alia ex naui, quibuscunq; signis occurrerat, se aggregabat, magnopere perturbabantur: Locus Romanis, & ordo deerat: Itaq; magnopere hostis notis omnibus vadis, vbi ex littore aliquos singulares ex naui egredientes conspexerant, incitatis equis, impeditos adoriebantur plures paucos circũsistebãt: alij ab latere aperto, in vniuersos tela cõijciebãt: Requirebat antea Cęsar & locũ & ordinem: nunc etiam numerũ copiarũ & vires: itaq; cũ non solũ loco & ordine, sed etiã numero suos inferiores esse animaduertisset, scaphas longarũ nauium, item speculatoria nauigia militibus compleri iussit, & quos laborantes cõspexerat, ijs subsidia sũmittebat. Romani simul in arido constiterũt, suis omnibus cõsecutis, in hostes impetũ fecerũt atq; eos in fugam

gam dederũt, neq; longiùs prosequi potuerũt, quod equites cursum tenere, atq; insulã capere non potuerunt. Hoc vnum ad pristinam fortunam Cæsari defuit. Hoc prçlio Cæsar, non tam nauali quàm litorali Britannos pacem petere coëgit, sed ipse à Britannico mari pene pacem petere coactus est: Nam pace cum Britannis firmata, post diem quartum quàm est in Britanniam ventum, naues octodecim, de quibus suprà demonstratum est, quæ equites sustulerant ex superiori portu, leni vento soluerunt. Quæ cùm appropinquarent Britanniæ, & ex castris viderentur, tanta tempestas subitò coorta est, vt nulla earum cursum tenere posset, sed aliæ eôdem vnde erant profectæ referrentur, aliæ ad inferiorem partem insulæ quæ est propiùs Solis occasum, magno cum periculo deijcerentur: Quæ tamen anchoris iactis, cùm, fluctibus complerentur, necessariò aduersa nocte in altum prouectæ continentem petiuerũt. Hæc tempestas maris, Britannos fines velut vlciscentis fuit, & nouum ac peregrinum regem indignantis. Difficultatem Cæsari ex inscitia Oceani, & nauigationis huius insolentia creatam, anteà demonstrauimus: Itaque Britannis magis lacessitis quàm deuictis, & pace cum quibusdam ciuitatibus factâ, quòd propinqua die equinoctij infirmis nauibus hyemis nauigationem subeundam non existimabat, ipse idoneam tempestatem nactus, paulò

post noctem mediam naues soluit, tum omnes incolumes ad continentem peruenerunt. Equidem valde miratus sum totâ hac Cęsaris historiâ, nullam Britanniæ nauem nominari, vel vllum per Britannos cum Romanis nauale prælium committi. Cæsar quinto Gallici belli anno Britanniam ingenti octingentarũ nauium classe repetit: sed ei prælium nauale nullum nisi cũ vẽtis & tempestatibus fuit, quod suprà iam demonstratum est.

OBSIDIO MASSILIAE.

AD nauales pugnas, Massiliæ & Alexandriæ obsessionem referendam existimaui, tametsi genus est cum terrestri naualique prælio coniunctum: Massilia vrbs origine & artibus liberalium disciplinarum græca, bellicis studijs plane gallica, ferè tribus ex oppidi partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra ex Gallia atq; Hispania, ad id mare quod attingit ad hostium Rhodani. Massilienses in dissensione ciuium Romanorum, Pompeianas partes secuti, portas Cæsari clauserant: Itaque vires quas potuêre ad vrbis defensionem comparauerant: Albicos barbaros homines, qui in eorum fide antiquitus erant, montesq; supra Massiliam incolebant, ad se vocauerant: Frumentum ex finitimis regionibus, atq; ex omnibus castellis in vrbem

pem conuexerant: Armorum officinas in vrbe instituerant: muros, classem & portas reficiebant. Nec Cæsaris oratione dimoueri à sententia potuerant. Interea Domitius partium Pompeianarum nauibus Masſiliam peruenit, atque ab his receptus, vrbi præficitur. Summa ei, belli administrandi permittitur. Eius imperio classem quoquoversus dimittunt: onerarias naues, quas vbique possunt, deprehendunt atque in portum deducunt, earum clauis aut materiâ atque armamentis instructis, ad reliquas armandas reficiendas'que vtuntur, frumenti quod inuentum est in publicum conferunt, reliquas merces commeatus'que ad obsidionem vrbis, si accidat reseruant. Hic communis Massiliensium apparatus fuit ad Massiliæ propugnationem: Quibus iniurijs permotus Cæsar, vires ad oppugnandum contrarias comparat legiones tres Massiliam adducit: turres vineas'que agere, naues longas Arelate, numero duodecim facere instituit: Quibus effectis armatis'que, diebus triginta, à qua die materia cæsa est, adductis'que Massiliam, his Decium Brutum præficit: C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliæ relinquit. Hic communis item apparatus est ad oppugnationem futuram, deinceps prælia erunt geminarum contentionum, naualium & terrestrium eruptionum permultarum : Prima naualis contentio, authore Domitio, Pompeianarum partiũ

princi-

principe Romano, facta est. Tum igitur Massilienses vsi L. Domitij cõsilio, naues longas expediunt numero XVII, quarum erãt vndecim tectæ: multa his minora nauigia addũt, vt ipsa multitudine, Cæsariana classis terreatur: magnum numerum sagittariorum, magnum Albicorum, de quibus supra demonstratum est, imponunt, atque hos præmijs pollicitationibus'que incitant. Certas sibi deposcit naues Domitius, atque has colonis pastoribus'que quos secum adduxerat, complet. Sic omnibus rebus instructâ classe, magna fiducia ad Cęsarianas naues procedunt, quibus præerat Decius Brutus: Hic ad insulam quæ est contra Massiliam, stationes obtinebat. Erat multò inferior numero nauium Brutus: sed electos ex omnibus legionibus fortissimos viros antesignanos, centuriones Cæsar ei classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant, vt tanto viribus superior esset: hi manus ferreas atque harpagones parauerant, magno'que numero pilorum, tragularum reliquorum'q; telorum se instruxerant. Ita cognito hostium aduentu, suas naues ex portu educunt, cum Massiliensibus confligunt: pugnatum est vtrinque fortissimè atq; acerrimè, neque multum Albici Cæsarianis virtute cedebant, homines asperi & montani, exercitati in armis: atque hi modo digressi à Massiliensibus, recentem eorundem pollicitationem animis continebant, pastores'que

indo-

indomiti, ſpe libertatis incitati, ſub oculis Domitij ſuam probare operam ſtudebãt. Ipſi Maſſilienſes & celeritate nauium & ſcientiâ gubernatorum confiſi, Cæſarianos eludebant, impetus'que eorum excipiebant, & (quod licebat latiore ſpacio) producta longius acie circumuenire Cæſarianos, aut pluribus nauibus adoriri ſingulas, aut remos tranſcurrentes detergere ſi poſſent, contendebant. Cùm propius erat neceſſariò ventum, ab ſcientia gubernatorum atque artificij ad virtutem montanorum confugiebant. Cæſariani, qui minus exercitatis remigibus minus'que peritis gubernatoribus vtebantur, qui'que repentè ex onerarijs nauibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis: tum etiam grauitate & tarditate nauium impediebantur: Factæ enim ſubitò ex humida materia, non eundem vſum celeritatis habebant. Itaque dum locus communis pugnandi daretur, ęquo animo ſingulas binis nauibus obijciebant, atque iniecta manu ferrea, & retenta vtraque naue, diuerſi pugnabant, atque in hoſtium naues tranſcendebant: & magno numero Albicorum & paſtorum interfecto, partem nauium deprimũt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt. Eo die naues Maſſilienſium, cum ijs quæ ſunt captæ, intereunt nouem. Id primum Maſſilienſium nauale prælium, ea'que prima clades fuit: vbi videmus virtutem

tutem militum, quauis nauiū disciplinâ ad victoriā potiorē esse. Terrestris oppugnatio propugnatióque, deinceps terrâ grauior exoritur. C. Trebonius Cæsaris Legatus duabus ex partibus aggerem, vineas turresq́ ad oppidū agere instituit, vna erat proxima portui naualibusque, altera ad partem qua est aditus ex Gallia Hispaniáque. Atque hîc legiones, palæ, securis, dolabræ, non gladij, non enses præliantur. Caius Trebonius ad hæc opera perficiēda magnam iumentorum atque hominum multitudinem ex omni prouincia vocat: vimina materiámque comportari iubet. Quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedum octoginta extruxit. Sed tanti erant antiquitus in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantáque multitudo tormentorum, vt eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possēt. Asseres enim pedum duodecim, cuspidibus præfixi, atque hi maximis balistis missi, per quatuor ordines cratium, in terram defigebantur. Itaque pedalibus lignis coniunctis inter se porticus vinearum integebantur, atque hâc agger inter manus à Romanis proferebatur, antecedebat testudo pedum sexaginta, æquandi loci caussâ, facta item ex fortissimis lignis, conuoluta omnibus rebus, quibus ignis iactus & lapides defendi possent: Sed magnitudo operum, altitudo muri atque turrium, multitudo tormentorum, omnem admi-

nistra-

nistrationem tardabat: Crebrę tamen per Albicos eruptiones fiebant ex oppido, ignesq; aggeri & turribus inferebantur: quæ facilè Cæsariani milites repellabant magnisq; vltrò illatis detrimentis, eos qui eruptionem fecerāt, in oppidum reijciebant. Hęc terrestris oppugnatio, propugnatio prima est. Sequitur alterum nauale prælium authore Nasidio item Pompeianarum partium, principe Romano maioris apparatus maioris'que calamitatis. Interim L. Nasidius à Cneio Pompeio cum classe nauium sedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Massiliensibus'que subsidio missus, præmissâ clam nauiculâ, Domitium Massiliensés-que de suo aduentu certiores facit, eos'que magnopere hortatur, vt rursus cum Bruti classe additis suis auxilijs confligant. Massilienses post superius incommodum, veteres ad eundem numerum ex naualibus productas naues refecerant, summa'que industria armauerant: remigum gubernatorum'que magna copia suppetebat: piscatorias'que adiecerant atque contexerant, vt essent ab ictu remiges tuti: has sagittarijs tormentis'que compleuerant. Tali modo instructa classe omnium seniorum, matrumfamilias, virginum'que (hæc cohortatio gallica fuit) precibus & uetu excitati, vt extremo tempore ciuitati subuenirent, nō minore fiduciâ quàm antè dimicauerant, naues conscendunt: Communi enim fit vitio naturæ

vt in

vt in vitijs latitantibus atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiusq́ue exterreamur, vt tum accidit: Aduentus enim L. Nasidij, summa spe & voluntate ciuitatem compleuerat. Nacti idoneum ventum, ex portu exeũt & Tauroenta quod est castellum Massiliensiũ, ad Nasidium perueniunt, ibi'que naues expediunt rursus'que se ad confligendum, animo confirmant, & consilia communicant. Dextra pars Massiliensibus attribuitur, sinistra Nasidio, eôdem Brutus contendit aucto nauium numero: Nam ad eas quæ factæ fuerant Arelate per Cæsarem, captiuæ Massiliensium accesserant sex: Has superioribus diebus refecerat, atque omnibus rebus instruxerat: Itaque suos cohortatus, quos integros superauissent, vt victos contemnerent, plenus spei bonæ atque animi aduersus eos proficiscitur. Facile erat ex castris C. Trebonij atq; omnibus superioribus locis prospicere in vrbem, vt omnis iuuentus quę in oppido remanserat omnes'que superioris ætatis cum liberis atq; vxoribus ex publicis custodijs aut ex muro ad cœlum manus tenderent, aut templa Deorum immortalium adirent & simulachra proiecti, victoriam à Dijs exposcerent: Neque erat quisquam omnium qui non in eius diei casu, suarum omnium fortunarum euentum consistere existimaret: Nam & honesti ex iuuentute & cuius'que ætatis amplissimi nominatim euocati atque obsecrati, naues

es cōſcenderant: vt ſi quid aduerſi accidiſſet, e ad conandū quidem ſibi quidquam reliqui ore viderēt: ſi ſuperauiſſent, vel domeſticis opibus vel externis auxilijs de ſalute vrbis cōfiderent. Commiſſo prælio, Maſsilienſibus res ulla ad virtutē defuit, ſed memores eorū præceptorū quæ pauló anté á ſuis acceperant, hoc nimo decertabant, ut nullum aliud tempus d conandum habituri viderentur: & quibus n pugna vitæ periculū accideret, non ita mulſe reliquorum ciuium fatum antecedere exſtimarent. quibus vrbe capta, eadem eſſet belfortuna patienda: diductis'que Cæſarianis aulatim nauibus & artificio gubernatorum obilitati nauium locus dabatur: & ſi quādo Cæſariani facultatem nacti ferreis manibus inectis nauem religauerant, vndique laborantibus ſuccurrebant. Neque veró coniunctis Alicis comminus pugnando deficiebant, neue multum cedebant virtute Cæſarianis, ſimul ex minoribus nauibus magna vis eminus miſſa telorum, multa Cæſarianis de improuiſo imprudentibus atque impeditis vulera inferebat. Conſpicatæ'que naues triemes duæ nauem D. Bruti, quæ ex ſigno facilè agnoſci poterant, duabus ex partibus ſeſe n eam incitauerant: ſed tanta re prouiſâ, Brus celeritate nauis eniſus eſt vt paruo momento antecederet. Illæ adeó grauiter inter incitatæ conflixerunt, vt vehementiſsimè

n vtræq;

vtræque ex concursu laborarent: Altera verò perfracto rostro tota collabefieret. Quâ re animaduersa, quæ proximæ ei loco ex Bruti classe naues erant, in eas impeditas impetum faciũt, celeriter'que ambas deprimunt. Sed Nasidianæ naues nulli vsui fuerunt celeriter'que pugnâ excesserunt: nõ enim has aut respectus patriæ aut propinquorum præcepta ad extremũ vitæ periculum adire cogebant. Itaque ex eo numero nauium nulla desiderata est: Ex Massiliensium classe quinque sunt depressę, quatuor captæ: vna, cum Nasidianis profugit, quę omnes citeriorem Hispaniam petiuerunt. At ex reliquis vna præmissa Massiliam huius nuncij perferendi gratiâ cùm iam appropinquaret vrbi, omnis sese multitudo ad cognoscendum effudit & rę cognitâ tantus luctus excepit, vt vrbs ab hostibus capta eôdem vestigio videretur. Hæc igitur naualis offensio clades'que secunda fuit, & quidem superiore longè grauior & tristior. Vbi Massiliensibus neque ordo neque cohortatio defuit, sed vires minores fuere. Succedit deinde terrestris secunda dimicatio: Massilienses enim, tantus hominum vigor tanta'que virtus vel in desperatis rebus fuit, nihilo segniùs ad defensionem vrbis reliqua apparare cœperunt: At contra Massilienses, opus laboris admirandi à legionarijs excogitatur & absoluitur primò lateritiæ turris, deinde musculi: Et hîc, militia rursus materiaria,

teriaria, lateraria, cementaria est: Hic asciæ & trullæ legionarios exercuerũt: Ac turris sex tabulatorum fuit, ita vt primam contignationẽ secunda & secundam tertia & deinceps superior inferiorem superaret trabibus paulò longioribus & eminentioribus vnde tegumenta præpendêrent ad inferiorem contignationem defendendum. Sed Cæsarem audiamus. Est autem animaduersum (ait) à legionarijs, qui dexteram partem operis administrabant, ex crebris hostiũ irruptionibus, magno sibi esse præsidio posse, si pro castello ac receptaculo, turrim ex latere sub muro fecissent, quam primò ad repentinos incursus humilem paruam'que fecerũt: huc se referebant: hinc siqua maior oppresserat vis, propugnabant: hinc ad repellendum & prosequendum hostem, procurrebant. Patebat hæc quoquoversus pedes xxx, sed parietum crassitudo pedes V. Postea verò (vt est rerum omnium magister vsus) hominum adhibitâ solertiâ, inuentum est magno esse vsui posse, si hæc esset in altitudinem turris elata. Id hac ratione perfectum est: vbi turris altitudo perducta est ad contabulationem, eam in parietes instruxerunt ita, vt capita tignorum, extremâ parietum structurâ tegerentur, nequid emineret, vbi ignis hostium adhæresceret. Hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum passum est, laterculo astruxerunt; supráque eum locum duo

tigna transuersa iniecerunt non longè ab extremis parietibus, quibus suspenderent eam cõtignationem quæ turri, tegumento esset futura: supra'que ea tigna directò transuersas trabes iniecerunt, eásque asseribus religauerunt: has trabes pauló longiores atq; eminentiores quã extremi parietes erant, effecerunt, vt esset vbi tegumenta præpendêre possent ad defendendos ictus ac repellendos, cùm intra eam contignationem parietes extruerentur: eámque cõtabulationem summam, lateribus lutóque cõstrauerunt, ne quid ignis hostium nocere posset, centoné'sque insuper iniecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis lateritium discuterent. Storias autem ex funibus anchorariјs tres in longitudinem parietum turris, latas quatuor pedes fecerunt, eas'que ex tribus partibus quę ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrim præpendentes religauerunt, quod vnum genus tegumenti aliјs locis erant experti nullo telo neque tormento traiјci posse. Vbi verò ea pars turris quæ erat perfecta, tecta atque munita est ab omni ictu hostium, pluteos ad alia opera abduxerunt: turris tectum per seipsum prensionibus ex contignatione prima suspendere ac tollere cœperunt: vbi quantum storiarum demissio patiebatur, tantum eleuabant: Intra hæc tegumenta abditi atque muniti, parietes lateribus extrue-

bant

bant: rursúsque alia prensione ad ędificandum sibi locum expediebant. Vbi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item vt primo tecta extremis lateribus instruebant, ex'que ea contignatione rursus summam contabulationem storias'que eleuabant. Ita tutò ac sine vllo vulnere ac periculo sex tabulata extruxerunt: fenestras'que quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt. Atque hæc lateritiæ turris constructio fuit: Constructio musculi deinde explicatur, & materia & forma, tum confecti deductio ad turrim: Vbi igitur milites hi materiarij, laterarij'que ex ea turri, quæ circum essent opera tueri seposse confisi sunt, musculum pedes LX. longum ex materia bipedali, quem à turri lateritia ad hostium turrim murum'que perducerent, facere instituerunt, cuius musculi hæc erat forma. Duæ primùm trabes in sŏlo æquè longè, distantes inter se pedes quatuor collocantur, in'que eis columellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur: has inter se capreolis molli fastigio coniungunt, vbi tigna, quæ musculi tegendi caussâ ponant, collocentur: eo super tigna bipedalia inijciunt, ea'que laminis clauis'que religant, ad extremum'que musculi tectum trabes'que extremas, quadratas regulas, quatuor patentes digitos defigũt, quæ lateres, qui super musculũ struantur, contineant. Ita fastigiato atque ordinatim structo,

vt trabes erāt in capreolis collocatæ, lateribus luto'que musculus, vt ab igni qui ex muro iaceretur, tutus esset, contegitur. Super lateres, coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa, lateres diluere posset. Coria autē, ne rursus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum vineis ad ipsam turrim perficiunt, subitoq; inopinantibus hostibus, machinatione nauali phalangis subiectis ad turrim hostium admouent, vt ædificio iungatur. Quid igitur tandem Massiliensibus quantum animi tum superfuit? Certè quantum viris fortibus in summo discrimine debuit. Hac turri, hoc musculo perterriti subitò oppidani (ait Cæsar) saxa quàm maxima possunt vectibus promouent præcipitata'que muro, in musculum deuoluunt: Ictum, firmitas materiæ sustinet, & quicquid incidit, fastigio musculi delabitur. Id vbi vident, mutant consilium. Cupas tædâ ac pice refertas incendunt, eas'que de muro in musculum deuoluūt: inuolutæ labuntur: delapsæ à lateribus, longurijs furcis'que ab opere remouentur: itaq; Massiliensium machinatio eluditur; atque interim sub musculo milites vectibus infima saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, conuellunt: Musculus ex turri lateritia à Cæsarianis, telis tormentis'que defenditur, hostes'que ex muro ac turribus submouentur: nō datur libera muri defendendi facultas:

compluribus iam lapidibus ex ea quæ subeerat turri subductis, repentinâ ruinâ pars eius turris concidit, reliqua consequens procumbebat: Denique iam miseræ ciuitati nil nisi direptio, cædes, extrema'que expugnatæ vrbis mala restabant. Massilienses, origine ingenij'que eruditione Græci erant, solo cœlo'que Galli, gallicæ vires hactenus pro patria strenuè fortiter'que dimicarunt: Extrema spes salutis ab ingenio & eloquentia expetitur: Tum igitur Massilienses turris repentinâ ruinâ commoti, inopinato malo turbati, Deorum irâ perculsi, vrbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese porta foras vniuersi proripiunt: ad legatos atque exercitum supplices manus tendunt. Qua noua re oblata, omnis administratio belli consistit, milites'que auersi à prælio, ad studium audiendi & cognoscendi feruntur. Vbi hostes ad legatos exercitum'que peruenerunt, vniuersi se ad pedes proijciunt, orant, vt aduentus Cæsaris expectetur: captam, suam vrbem videre, opera perfecta, turrem subrutam: itaque à defensione desistere: nullam exoriri moram posse, quo minus cùm venisset, si imperata non facerent, ad nutum è vestigio diriperentur. Docent si omnino turris concidisset, non posse milites cōtineri, quin spe prædæ in vrbem irrumperent vrbem'que delerēt. Hæc atque eiusdē generis com-

plura vt ab hominibus doctis, magnâ cum misericordia fletuq́ue pronuntiantur. Hæc eloquẽtiæ Massiliensis dimicatio fuit: omnia machinarum tormenta experti Massilienses, tandem eloquentiæ tormentũ illud experiuntur, quod in pace Romanos (Massiam enim (ait Strabo) Romani libentius liberos disciplinæ caussâ, quàm Athenas dimittebant) Romanos inquam, docere consueuerant Πειθὼ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην, Suadelam hominibus reginam solam esse: Ergo regina

Ista regit dictis animos & pectora mulcet.

Commoti legati, milites ex opere deducunt, oppugnatione desistunt, operibus custodias relinquunt. Induciarum quodam genere misericordiâ facto, aduentus Cæsaris expectatur: nullum ex muro, nullum à Cæsarianis mittitur telum: vt re confecta, omnes curam & diligentiam remittunt: Cæsar enim per literas Trebonio magnopere mandauerat, ne per vim oppidum expugnari pateretur, ne grauiùs permoti milites & defectionis odio & contemptione sui & diutino labore, omnes puberes interficerent, quod se facturos minabãtur: ægre'que tunc sunt retenti quin oppidum irrumperent: grauiter'que eam rem tulerunt, quod stetisse per Trebonium, quò minùs oppido potirentur, videbatur. Sic igitur induciæ pactæ sunt. At interim dum Cæsaris aduentus expectatur, recordatio pristinę liber-

tatis

tatis obsessorum animos tanta subijt, vt datę fidei religione nulla mouerētur, quin omnia Romanorum opera tot mensium laboribus extructa vno temporis momento corrumperēt. Itaque sine fide (ait Cæsar) tempus atque occasionem fraudis ac doli quærunt: interiectisq; aliquot diebus, Cæsarianis languentibus atque animo remissis, subitò meridiano tempore cū alius discessisset, ali⁹ ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma verò omnia reposita contectáque essent, portis forâs erumpunt, secundo magnoq; vēto ignem operibus inferunt. Hunc sic distulit ventus, vti vno tempore agger, plutei, testudo, turris tormentaq; flammam conciperent, & priùs hæc omnia cōsumerentur, quàm quemadmodum accidisset animaduerti posset. Cæsariani repentina fortuna permoti, arma quę possunt arripiunt: alij ex castris sese incitāt, fit in hostes impetus, sed muro, sagittis tormentísque fugientes persequi prohibentur: Illi sub murum se recipiunt, ibíque musculum turrímque lateritiam liberè incendunt. Ita multorum mensium labor, hostium perfidiâ & vi tempestatis, puncto temporis interijt. Tentauerunt hoc idem Massilienses. postero die eandem nacti tempestatem maioríque cum fiducia, ad alteram turrem aggerémque eruptione pugnauerunt multúmque ignem intulerunt. Sed vt superioris temporis contentionem Cæsariani omnem remise-

n 5 rant,

rant, ita proximi diei casu admoniti, omnia ad defensionem parauerant: Itaque multis interfectis, reliquos infectâ re in oppidum repulerunt. Ergo hæc Massiliensium in desperatis rebus admirabilis virtus fuit: Sed tamē frustrà cùm legionarij superessent, à quibus nouę machinæ noua'que tormenta possent instaurari: deletæ & corruptæ machinationes ac machinatores supererant: Itaque militia illa tignaria ac cementaria multò acrior quàm antea reuocatur. Trebonius ea quæ sunt amissa multo maiore militū studio administrare & reficere instituit: Nā ubi tātos suos labores & apparatus malè cecidisse viderunt, inducijs'que per scelus violatis, suam virtutem irrisui fore perdoluerunt, quòd vnde agger omnino comportari posset nihil erat reliquum: omnibus arboribus longè latéque in finibus Massiliensium excisis & conuectis, aggerem noui generis atq; inauditum ex lateritijs duobus muris senûm pedum crassitudine atque eorum murorum contignationem facere instituerunt æquâ ferè altitudine, atque ille congestus ex materia fuerat agger. Vbi aut spatium inter muros aut imbecillitas materię postulare videretur, pilæ interponuntur, transuersaria tigna inijciuntur, quæ frumento esse possent: & quicquid est cōtignatum, cratibus consternitur crates'que luto integuntur, sub tecto miles dextrâ ab sinistra muro tectus, aduersus plutei obiectū, o-

peri

peri quęcunque vsui sunt sine periculo suppor tat: Celeriter res administratur: diuturni laboris detrimētum, solertia & virtute militum breui reconcinnatur. Portæ, quibus locis videtur, eruptionis caussa in muro relinquuntur. Atque hinc Massiliēsiū nata est desperatio: Nam vbi viderunt ea quæ diu longo'que spacio refici non posse sperassent, paucorum dierum opera & labore ita refecta, vt nullus perfidiæ neque eruptioni locus esset, neque quicquam omnino relinqueretur, quà aut vis militibus, aut ignis operibus nocere posset: eodem'que exemplo sentiunt totam vrbem qua sit aditus à terra muro turribus'que circumiri posse, sic vt ipsis consistendi in suis munitionibus locus non esset, cùm penè ædificata in muris ab exercitu Cæsariano mœnia viderentur, ac tela manu conijcerentur suorum'que tormentorum vsum, quibus ipsi magna sperauissent, spacio propinquitatis interire, pari'que conditione è muro ac turribus bellandi data, virtute se Cæsarianis adæquare non posse intelligunt, ad easdem deditionis conditiones recurrunt. Cæsar interim ex Hispania reuertitur, Massiliam'que venit, Massilienses itaque omnibus defessi malis, rei frumentariæ ad summam inopiam adducti, bis prælio nauali superati, crebris eruptionibus fusi, graui etiam pestilentia conflictati ex diutina conclusione & mutatione victus (pannico enim vetere atque

hordeo

hordeo corrupto omnes alebantur, quod ad huiusmodi casus, antiquitùs paratum in publicum contulerant) deiectâ turri labefactâ magnâ parte muri, auxiliis prouinciarum & exercituum desperatis, quos in Cæsaris potestatem venisse cognouerant, sese dedere sine fraude constituunt: sed paucis ante diebus L. Domitius cognita Massiliensium voluntate, nauibus tribus comparatis, ex quibus duas familiaribus suis attribuerat, vnam ipse conscenderat, nactus turbidam tempestatem, est profectus: Hunc conspicatæ naues, quæ iussu Bruti consuetudine quotidianâ ad portum excubabant, sublatis anchoris, sequi cœperunt, ex iis vnum ipsius nauigium contendit & fugere perseuerauit, auxilio'que tempestatis ex cõspectu abiit: duo perterrita, concursu Cæsarianarum nauium, sese in portum receperunt, Massilienses arma tormenta'que ex oppido, vt est imperatum proferunt: naues ex portu naualibus'que educunt, pecuniam ex publico tradunt. Quibus rebus confectis, Cæsar magis eos pro nomine & vetustate, quàm pro meritis in se ciuitatis conseruans, duas ibi legiones præsidio relinquit. Quamobrem Massiliæ oppugnatio tam laboriosa fuit vt Cæsar etiam triumpho dignam iudicaret: in quo tamen reprehenditur à Marco Cicerone non ex rei militaris disciplina, sed belli, sed triumphi caussâ, Vexatis ait, ac perditis exte-

ris

ris nationibus, ad exemplum amissi imperij, portari in triumpho Massiliam vidimus & ex ea vrbe triumphari, sine qua neque nostri Imperatores de transalpinis bellis triumpharant. Sed tamen Cæsar pro nomine & vetustate Massiliam conseruauit: nomine & vetustate non tantùm armorum quibus plurimùm poterat, sed humanitatis & literarum, vnde etiam Romani eruditionem vitæ ac morum petere solebant.

ALEXANDRIAE OPpugnatio.

CAEsar confisus famâ rerum gestarum, cum tribus ferè millibus legionariorum, in Aegyptum, quò Pompeium fugisse audierat, contendit: Pompeius ab Aegyptijs prius interfectus est quàm Cæsar Alexandriam peruenisset. Alexandria vrbs est Aegypti medio Nilo diuisa, vnde pars dimidia Africæ, pars reliqua Asiæ esse dicitur: alluitur autem mari à septentrione, & lacu quem multis fossis Nilus efficit, à meridie: Portus maris geminus est duobus è continenti promontorijs obiectâ Pharo insula conclusis: Portus orientalis Acrolochias dicitur, est'que ore commodiore: sed nauigantibus propter interiectas petras periculosior: Itaque in insula Pharo turris est magna altitudine, mirificis ope-

ribus extructa, Pharus item nomine, quâ nautæ moniti tutius in portum introeunt: Est in eadem insula & vicus oppidi magnitudine: alter portus appellatur Eunostus, ambo intus coëunt: insula verò ipsa à superioribus regionibus in longitudinem passuum nongentorum in mare iactis molibus angusto itinere & ponte cum oppido coniungitur: Lacus etiam portum habet & quidem marino portu longè ditiorem: Atque vrbis longitudo, triginta ferè stadiorum est, latitudo octo, vijs distincta quibus currus agi posit, sed duabus omnium latissimis, bifariam sese ad rectos angulos secantibus: Regiæ à varijs regibus extructæ, ferè quartam oppidi partem obtinebant & theatrum his coniunctum, quod arcis tenebat locum: huc Cæsar habitandi caussâ, initio est inductus, fasces'que, quia Consul erat, sibi præferri iubet, vnde tanquam regia maiestas imminueretur, tumultu exorto, complures eius milites sunt interfecti. Cæsar igitur alias legiones accersit ex Asia: habet apud se & reges Ptolemæum & Cleopatram in sua potestate, & depositis armis iubet apud se de regno iure disceptari: Hinc per Photinum regis procuratorem Achillas clanculum viginti millibus latronum & perditorum cuius'que generis hominum armatur contra Cęsarem & protinus his copijs fidens, paucitatem Cæsaris despiciens, Alexandriam ingressus

gressus, primo impetu domum Cęsaris irrumpere conatus est. Hîc Cæsar viribus & loco inferior est: sed celeritate virtutis diligentiaq́ꝫ subitò perfecit, ne loco inferior esset: portum occupat, naues incendit, atque hostibus in pugna occupatis militibusque expositis, Pharum turrem apprehendit atque ibi præsidium posuit: quibus est rebus effectum, vti tutò frumentum auxiliaq́ꝫ nauibus ad eum supportari possent: Reliquis oppidi partibus sic est pugnatum, vt æquo prælio discederetur & neutri pellerentur: Id efficiebant angustiæ loci, paucis'que vtrinque interfectis, Cæsar loca maximé necessaria complexus, noctu præmunit. Has munitiones insequentibus auxit diebus, vt pro muro obiectas haberet, neu dimicare inuitus cogeretur. Adhuc Cæsar non totam Alexandriam, sed partem longe quidem minorem, sed tutiorem & portum & Pharum & turrem at non vicum obtinet, vrbs reliqua ex tribus quartis, est in hostium potestate. Interim Arsinoë filia minor Ptolemæi regis, ad Archillam ex regia se traiecit: Et Photinus procurator regni cognitis eius insidijs, iussu Cæsaris necatur. Hinc oppugnationis & propugnationis apparatus exprimuntur, bello Alexandrino conflato, Cæsar. Rhodo atque ex Syria Ciliciá'que omnem classem accersit. Ex Creta sagittarios, equites à rege Nabateorum Mal-

co euocat, tormenta vndique conquiri & frumentum mitti auxilia'que adduci iubet, interim'que munitiones quotidie operibus augentur, atque omnes oppidi partes quæ minùs firmæ esse viderentur, testudinibus ac musculis optantur: Ex ædificijs autem per foramina, in proxima ædificia arietes immittuntur, quantum'que aut ruinis deijcitur, aut per vim recipitur loci in tantum munitiones proferuntur: Nam ab incendio ferè tuta est Alexandria, quòd sine contignatione ac materia sunt ædificia, & structuris atque fornicibus continentur, tecta'que sunt rudere aut pauimentis. Cæsar maximè studebat vt quam, angustissimam partem oppidi palus à meridie interiecta efficiebat, hanc operibus vineis'que agendis, à reliqua parte vrbis excluderet, illud spectans primum, vt cùm in duas partes esset vrbs diuisa, acies vno consilio atque imperio administraretur: deinde, vt laborantibus succurri atque ex altera oppidi parte auxilium ferri posset: Imprimis verò vt aquâ pabulo'que abundaret quarum alterius rei copiam exiguam, alteriùs nullam omnino facultatem habebat: quod vtrumque palus largè præbere poterat. Neque verò Alexandrinis in gerendis negocijs, cunctatio vlla aut mora inferebatur: Nam in omnes partes per quas, fines Aegypti regnum'que pertinet, legatos conquisitoresq; delectus habendi

bendi causâ miserant, magnumque numerum in oppidum, telorum ac tormentorum conuexerant & innumerabilem multitudinem ad duxerant, nec minus in vrbe, maximę armorum erant institutæ officinæ: Seruos præterea puberes armauerant, quibus domini locupletiores victum quotidianũ stipendiumq́; præbebant. Hac multitudine dispositâ, munitiones semotarum partium tuebãtur. Veteranas cohortis vacuas in celeberrimis vrbis locis habebant, vt quacunque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opponi possent. Omnibus vijs atq; angiportis triplicem vallum obduxerant: Erat autem quadrato extructus saxo, nec minus XL. pedes altitudinis habebat: quæq́; partes vrbis inferiores erant, has altissimis turribus denorum tabulatorum munierant: Pręterea alias ambulatorias totidem tabulatorum confixerant subiectis'que eas rotis, funibus iumentisq́; obiectis, directis plateis in quancunq; erat visum partem mouebant: Vrbs fertilissima & copiosissima, omnium rerũ apparatus suggerebat. Ipsi homines ingeniosissimi atque acutissimi, quæ à Cæsarianis fieri viderant, eâ solertiâ efficiebant, vt Cæsariani illorum opera imitari viderentur: & sua sponte multa reperiebant, vnóque tempore & Cæsarianas munitiones infestabant, & suas defendebant. Atque hoc

principes in concilijs concionibus'que agitabant, populum Romanum paulatim in consuetudinem eius regni occupandi venire: paucis annis antè, Gabinium cum exercitu fuisse in Aegypto: Pompeium se ex fuga eodem recepisse: Cæsarem venisse cum copijs: neque morte Pompeij quicquam profectum, quo minus Cęsar apud se commoraretur: quem si non expulissent, futuram ex regno prouinciam, id'que agendum maturè. Namque eum interclusum tempestatibus propter anni tempus recipere transmarina auxilia non posse. Interim dissensione orta inter Achillam, qui veterano exercitui præerat, & Arsinôem regis Ptolemęi minorem filiam, vt suprà demonstratum est, cùm vterque vtrique insidiaretur, & summam imperij ipse obtinere vellet, præoccupat Arsinôe per Ganymedem Eunuchum nutritium suum, atque Achillam interficit. Hoc occiso, ipsa sine vllo socio & custode omne imperium obtinebat: exercitus Ganymedi traditur. Hic nouus dux contra Cæsarem comparatur, magnam'que Cæsarianis aquæ dulcis inopiâ desperationem machinatur, quæ res Vxellodunenses in Gallia perdidit: Sed Cæsaris ingenium his malis remedium reperit. Ganymedes igitur suscepto belli principatu largitionem in milites auget, reliqua, pari diligentiâ administrat. Alexandria est ferè tota suffossa, spe-

cusq;

eius'que habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in priuatas domos inducitur: quæ paulatim ſpacio temporis liqueſcit ac ſubſidit: hac vti domini ædificiorum, atque eorum familiæ conſueuerunt: Nam quæ flumine Nilo fertur, adeò eſt limoſa ac turbida, vt multos varios'que morbos efficiat: ſed eâ plebes ac multitudo contenta eſt neceſſariò, quòd fons vrbe totâ nullus eſt: hoc tamen flumen in ea parte vrbis erat quæ ab Alexandrinis tenebatur. Atque ideò Cęſar (vt dixi) vix quartam vrbis partem obtinebat. Quo facto, eſt admonitus Ganymedes poſſe Cæſarianos aquâ intercludi: qui diſtributi munitionum tuendarum cauſsâ vicatim, ex priuatis ędificijs ſpecubus & puteis extractâ aquâ vtebantur. Hoc probato conſilio magnum ac difficile opus aggreditur: interceptis enim ſpecubus atque omnibus vrbis partibus excluſis, quæ ab ipſo tenebantur, aquæ magnam vim ex mari rotis ac machinationib. exprimere contendit: hanc locis ſuperioribus fundere in partem Cæſaris non intermittebat. Quam ob cauſſam, ſalſior paulò præter conſuetudinem aqua trahebatur ex proximis ędificijs magnam'que hominibus admirationem præbebat: quam ob rem id accidiſſet, nec ſatis ſibi ipſi credebant, cùm ſe inferiores eiuſdem generis ac ſaporis aquâ dicerent vti atque antè conſueſſent, vulgo'que inter ſe conferebant;

bant, & degustando, quantum inter se differẽt aquæ cognoscebant. Paruo verò temporis spatio hæc propior bibi omnino non poterat: illa inferior, corruptior iam salsiórque reperiebatur: Quo facto, dubitatione sublata tantus incessit timor, vt ad extremum casum periculi, omnes deducti viderentur, atque alij morari Cęsarem dicerent, quin naues conscendere iuberet: alij multò grauiùs extimescerent casum, quòd neque celari Alexandrinis possent in apparanda fuga, cùm hi tam paruo spatio distarent ab ipsis: neque illis imminentibus atque insequentibus, vllus in naues receptus daretur: erat autem magna multitudo oppidanorum in parte Cæsaris, quam domicilijs ipsorum non mouerat, quod ea se fidelem palam Cæsarianis esse simulabat & desciuisse à suis videbatur, vt Cæsari defendendi essent Alexandrini, quòd neque fallaces essent, neque temerarij, multáque oratio frustra absumeretur. Cùm verò vno tempore & natio eorũ & natura cognoscatur, aptissimum esse hoc genus ad proditionem dubitare nemo potest. Cæsar suorum timorem consolatione & ratione minuebat. Nec iam vt imperator de prælio, sed vt Philosophus de vi ac potestate naturæ concionatur: Nam puteis, fossis, aquam dulcẽ reperiri posse affirmabat: omnia enim littora naturaliter aquæ dulcis venas habere: quod

ſi alia eſſet littoris Aegyptij natura atque omnium reliquorum: tamen quoniam mare liberè tenerent, neque hoſtes claſſem haberent, prohiberi ſeſe non poſſe quo minùs quotidie nauibus aquam peterent vel à ſiniſtra parte à Paraetonio, vel à dextra, ab inſula: quae diuerſae nauigationes nunquam vno tempore aduerſis ventis praecluderentur: Fugae verò nullum eſſe conſilium non ſolùm ijs qui primam dignitatem haberent, ſed ne ijs quidem qui nihil praeterquam de vita cogitarent. Magno negocio impetus hoſtium aduerſos ex munitionibus ſuſtineri: quibus relictis nec loco nec numero pares eſſe poſſe: magnam autem moram & difficultatem, aſcēſum in naues habere, pręſertim ex ſcaphis ſummam eſſe contrà in Alexandrinis velocitatem, locorum & aedificiorum notitiâ: hos praecipuè in victoria inſolentes praecurſuros & loca excelſiora atque aedificia occubaturos: Ita fuga nauibus'que Cęſarianos prohibituros: proinde eius conſilij obliuiſcerentur atque omni ratione eſſe vincendum cogitarent. Hâc oratione apud ſuos habita, atque omnium mentibus excitatis, dat Centurionibus negocium, vt reliquis operibus inter miſsis, ad fodiēdos puteos animum conferāt, néue quam partē nocturni temporis intermittant: Quo ſuſcepto negocio atque omnium animis ad laborem incitatis, magna, vnâ nocte

vis aquę dulcis inuenta est: Ita operosis Alexādrinorum machinationibus maximis'que conatibus, non longi temporis labore occursum est. Sequitur deinceps nauale prælium Cæsari secundum. Eo biduo legio tricesima septima ex dedititijs Pompeianis militibus cum frumento, armis, telis, tormentis imposita in naues à Domitio Caluino ad litora Africæ paulò supra Alexandriam delata est: Hæ naues Euro qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibebantur: sed loca sunt egregia omni illa regione ad tenendas anchoras. Hi cùm diu retinerentur atque aquę inopiâ premerentur, nauigio actuario Cæsarem faciunt certiorem. Cæsar vt per se consilium caperet quid faciendum videretur, nauim conscendit se'que omnem classem sequi iussit: Nullis Cæsarianis militibus impositis, quòd cùm longiùs paulò discederet, munitiones nudare nolebat, Cúmque ad eum locum accessisset qui appellatur Chersonesus, aquandi'que caussâ remiges in terram exposuisset, nōnulli ex eo numero cùm longiùs à nauibus prędatum processissent, ab equitibus hostium sunt excepti. Ex his cognouerunt Cæsarem ipsum in classe venisse, nec vllos milites in nauibus habere, quâ re compertâ magnam sibi facultatem fortunam obtulisse bene gerendæ rei crediderunt. Itaque naues omnes quas paratas habuerāt ad nauigādum,

propugnatoribus instruxerunt Cæsari'que re deunti cum classe occurrerunt, qui duabus de caussis eo die dimicare nolebat quòd & nullos milites in nauibus habebat, & post horam decimam diei res agebatur: Nox autem, allatura videbatur maiorem fiduciam illis qui locorum notitiâ confidebant, sibi etiam hortandi suos auxilium defuturum, quòd nulla satis idonea esset hortatio, quæ neque virtutem posset notare, neque inertiam. Quibus de caussis, naues quas potuit, Cæsar ad terram detraxit, quem in locum illos successuros non existimabat. Erat vna nauis Rhodia in dextro Cæsaris cornu, longè à reliquis collocata. Hanc conspicati hostes, non tenuerunt sese, magno'que impetu quatuor ad eam constratæ naues & complures apertæ contenderunt, cui coactus est Cæsar ferre subsidium, ne turpem in conspectu hostium contumeliam acciperet: Quamquam si quid grauius illi accidisset, meritò casurum iudicabat: Prælium commissum est magnâ contentione Rhodiorum: qui cùm in omnibus dimicationibus & scientiâ & virtute pręstitissent, tum maximè illo tempore totum onus sustinere non recusabant, ne quod suorum culpâ detrimentum acceptum videretur. Ita prælium secundissimum est factum: Capta est vna hostium quadriremis, depressa est altera, deinde omnes epibatis nudatæ magna pręter-

ea multitudo in reliquis nauibus propugnatorum est interfecta. Quòd nisi nox prælium diremisset, totâ classe hostium Cæsar potitus esset. Hac calamitate perterritis hostibus aduerso vento leniter flante, naues onerarias Cæsar remulco victricibus suis nauibus Alexandriā deducit. Hæc naualis Cæsari victoria fuit, non numero, non loco, sed ordinis scientia & pręclara quadam virtutis cohortatione & alacritate: Nauale prælium deinde aliud excipitur. Eo detrimento adeò sunt fracti Alexandrini, cùm iam non virtute propugnatorum, sed scientiâ clasßiariorum se victos viderent, quib. & superioribus locis subleuabantur, vt vix ædificijs defendi possent, & materiam cunctam obijcerent, quod Cæsarianæ clasßis oppugnationem etiam ad terram verebantur. Idem posteaquam Ganymedes in concilio confirmauit sese & eas quæ essent amissæ restituturum, & numerum adaucturum, magna spe & fiducia veteres reficere naues accuratius'que huic rei studere, atque inseruire instituerunt. Ac tametsi amplius centum decem nauibus longis in portu naualibus'que amiserant, non tamen reparandæ clasßis cogitationem deposuerunt. Videbant enim non auxilia Cæsari, non commeatus supportari posse, si classe ipsi valerent: Praeterea nautici homines & vrbis & regionis maritimę quotidiano vsu à pueris exercitati,

ercitati, ad naturalem ac domesticũ vsum refugere cupiebant: Et quantum paruulis nauigijs profecissent, sentiebant: Itaque omni studio ad parandam classem incubuerunt: erant in omnibus ostijs Nili custodiæ exigendi portorij causa dispositæ: naues veteres erant in occultis regiæ naualibus, quibus multis annis ad nauigãdum non erant vsi: has reficiebant, illas Alexandriam reuocabant, deerant remi, porticus, gymnasia ædificia publica detegebant, asseres remorum vsum obtinebant: aliud naturalis solertia, aliud vrbis copia subministrabat: Postremò non longam nauigationem parabant, sed præsentis temporis necessitati seruiebant & in ipso portu confligendum videbãt: Itaque paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes viginti duas, quinqueremes quinque confecerunt, ad has minores apertas' que complures adiecerunt, & in portu periclitati remigio quid quæ'que earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt, se' que ad confligendum omnibus rebus parauerunt. Talis Aegyptiorum est apparatus: deinceps Cæsarianæ classis apparatus erit & instructio duplicis aciei, tum subsidij nullo vnquam bello à Cæsare prætermissi. Cæsar Rhodias naues nouem habebat (nam decem missis, vna in cursu, littore Aegyptio defecerat) Ponticas octo: Lycias quinque: ex Asia XII; ex his erant quinqueremes & quadriremes X: reliquæ infra

hanc magnitudinem, & pleræque apertæ: tamen virtute militum confisus, cognitis hostium copijs, se ad dimicandum parabat. Postquam eò ventum est vt sibi vterque eorum cõsideret, Cæsar Pharũ classe circumuehitur aduersasque naues hostibus cõstituit. In dextro cornu, Rhodias collocat, in sinistro Ponticas. Inter has spatium quadringentorum passuum relinquit, quod satis esse ad explicãdas naues videbatur. Post hunc ordinem reliquas naues subsidio distribuit: quæ quamque earum sequatur & cui subueniat, const tuit atque imperat. Non dubitanter Alexandrini classem producunt atque instruunt. In fronte collocant XXII. reliquas subsidiarias in secundo ordine constituunt. Magnum præterea numerum minorum nauigiorum & scapharum producunt cum malleolis ignibusque, si quid ipsa multitudo & clamor & flamma Cæsarianis terroris afferre possent. Erant inter duas classes vada transitu angusto, quæ pertinent ad regionem Africæ: Satisque diu inter ipsos est expectatũ, ab vtris transeundi fieret initium, propterea quòd eò qui intrassent, & ad explicandam classem, & ad receptum, si durior accidisset casus, impeditiores fore videbantur. Pharsilico prælio Crastinum Cęsar habuit, nunc Euphranorem habet: Sed Cæsaris milites & à duce ipso & ipsi inter se longè maximâ cohortatione erant incitati vt tunc vni cohortationi

atq; alacritati non numero, non loco, non ordini, præcipuam victoriæ caussam Cæsar attribuerit: Rhodijs igitur nauibus præerat Euphranor, animi magnitudine ac virtute magis cum Cæsarianis hominibus, quàm Græcis cōparandus. Hic ob notißimam scientiam atque animi magnitudinem, delectus est à Rhodijs qui imperium claßis obtineret. Qui vbi Cæsaris animum aduertit, Videris mihi (inquit.) Cęsar vereri, si hęc vada primis nauibus intraueris, ne prius dimicare cogaris, quàm reliquam classem poßis explicare: nobis rem cōmitte nos prælium sustinebimus, neque tuum iudicium fallemus dum reliqui subsequantur: hos quidem diutius in nostro conspectu gloriari, magno nobis & dolori & dedecori est. Cæsar illum adhortatus atque omnibus laudibus prosecutus dat signum pugnæ, progressas vltra vadum quatuor Rhodias naues circunsistunt Alexandrini, atque in eas impetum faciunt. Sustinent illi atque arte solertia'que se explicant. Ac tantum doctrina potuit, vt in dispari numero, nulla transuersa hosti obijceretur, nullius remi detergerentur, sed semper venientibus aduersæ occurrerent. Interim sunt reliquæ subsecutæ. Tum necessariò discessum ab arte est propter angustias loci: atque omne certamen in virtute constitit: Neque verò Alexandriæ fuit quisquam aut Cæsarianorum aut oppidanorum, qui

aut in

aut in opere aut in oppugnatione occupatum animum haberet, quin altissima tecta peteret, atque ex omni prospectu, locum spectaculo caperet, precibus'que & votis, victoriam suis, à dijs immortalibus exposceret. Minimè autem par erat prælij certamen: Cęsarianis enim prorsus, neque terra ne que mari effugium dabatur victis, omnia'que victoribus erãt futura in incerto: Illi, si superassent, nauibus omnia tenerent, si inferiores fuissent, reliquam tamen fortunam periclitarẽtur: Simul illud graue ac miserum videbatur, perpaucos de summa rerum & de salute omnium decertare: quorum si quis aut animo aut virtute cessisset, reliquis etiam esset cadendum, quibus pro se pugnandi facultas non fuisset. Hæc superioribus diebus sæpe numerò Cæsar suis exposuerat, vt hoc maiore animo contenderent, quòd omnium salutem sibi commendatam viderent. Eadem suum quisque contubernalem, amicum, notum'que prosequens, erat obtestatus, ne suam atque omnium falleret opinionem, quorum iudicio delectus ad pugnam proficisceretur. Itaque hoc animo est decertatum, vt neque maritimis nauticis'que solertia atque ars præsidium ferret, neque numero nauium præstantibus multitudo prodesset, neque flexi ad virtutem ex tanta multitudine viri, virtuti Cæsarianorum possent adæquari. Capitur hoc prælio quinqueremis vna cum defensorib. remigibusque,

que, & deprimuntur tres, Cæsarianis incolumibus omnibus. Reliquæ propinquam fugam ad oppidum capiunt, quas protexerunt ex molibus atque ædificijs imminentibus, & Cæsarianos adire propiùs prohibuerunt. Cæsar naualem victoriam sic adeptus est, sed victoriæ fructum maiorem meditatur, vt territis hostibus, bellum reliquum conficiat: Phari insulæ partem priùs occuparat, reliquam cum ponte quo iungebatur vrbi, occupat: sed eo conatu quo ad Gergouiam castra Gallorum, ad Dyrrhachium munitiones Pompeianorum occupauerat: Omnia siquidem prosperè initio ad pontem vsque successerant: hîc fortuna commutari cœpit: Atque è Cæsarianis ferè mille desiderati, Cæsar'que ipse fugiendo & ad naues adnatando salutem petere contendit. Sed Hircium audiamus Cæsar igitur ne sibi priùs nauali prælio decertandum esset, omni ratione contendendum existimauit, vt insulam molem'que ad insulam pertinentem, in suam redigeret potestatem: Perfectis enim magna ex parte munitionibus, & oppidum & illam, & vrbem vno tempore tentari posse confidebat. Quo capto consilio, cohortes decem & leuis armaturæ electos, quos idoneos ex equitibus Gallis arbitrabatur, in nauigia minora scaphas'que imponit: alteram'que insulæ partem distinendæ manus causâ, cum cōstratis nauibus aggreditur, præmijs

mijs magnis propositis qui primus insulā cœpisset: Hæc cohortatio Cæsaris erat. Ac primò impetum Cæsarianorum pariter sustinuerūt: vno enim tempore & ex tectis ædificiorū propugnabāt & littora armati defendebant quò propter asperitatem loci, non facilis Cæsarianis aditus dabatur, & scaphis nauibus'que lōgis V. mobiliter & scienter angustias loci tuebātur. Sed vbi primùm locis cognitis vadisq; prætentatis, pauci Cæsariani in littore constiterunt, illos'que sunt alij subsecuti, cōstanterq; in eos qui in littore æquo constiterant, impetum fecerunt, omnes Pharitæ terga verterunt. Hi pulsi, custodiâ portus relicta, naues ad littora & vicum applicarunt, se'que ex nauibus ad tuenda ædificia eiecerunt: Neque verò diutiùs ipsi ex munitione se continere potuerunt: etsi erat non dissimile atque Alexandriæ, genus ædificiorum, ut minora maioribus conferantur, turres'que editę & coniunctæ muri locum obtinebant: neque Cæsariani aut scalis aut cratibus aut reliquis rebus parati venerāt ad oppugnandum: sed terror hominibus mentem consiliúmque eripit & membra debilitat: vt tum accidit. Nam qui se in æquo loco ac plano pares esse confidebant, ij dem perterriti fuga suorum & cæde paucorum, triginta pedum altitudine in ædificijs consistere ausi non sunt, se'que per molem in mare præcipitauerunt & octingentorum passuum interuallo,

ad

ad oppidum enatauerunt. Multi autem ex his capti interfectí'que sunt. Sed numerus captiuorum omnino fuit sexcenti Cæsar præda militibus concessa, ædificia diripi iussit, castellumq́; ad pontem qui propior erat Pharo communiuit, atque ibi presidium posuit. Hunc, fugâ Pharitę reliquerant: citeriorem illum propiorémque oppido, Alexandrini tuebantur. Sed eum postero die simili ratione aggreditur, quòd his obtentis duobus, omnem nauigiorum excursum & repentina latrocinia sublaturus videbatur. Iam'que eos qui presidio eum locum tenebant, tormentis è nauibus sagittis'que depulerat, atque in oppidum redegerat & cohortium trium instar, in terram exposuerat: Non enim plures consistere angustię loci patiebantur: reliquę copię in nauibus stationem obtinebant. Quo facto, imperat, pontem aduersus hostem preuallari, & quà exitus nauibus erat, fornicem extructum, quo pons sustinebatur, lapidibus oppleri atque obstrui. Quorum altero opere effecto, vt nulla omnino scapha egredi posset, altero instituto omnes Alexandrinorum copię ex oppido se eiecere & contra munitiones pontis latiore loco constiterunt: eodémque tempore quę cōsueuerant nauigia per pontes ad incendia onerariarum emittere, ad molem cōstiterunt. Pugnabatur à Cęsarianis ex ponte, ex mole: ab illis, ex area quę erat aduersus pontem, & ex

nauibus

nauibus, contra molem. In his rebus occupato Cæsare militesque hortante, remigum magnus numerus & classiariorum ex longis nauibus Cesarianis in molem se eiecit. Pars eorum, studio spectandi ferebatur, pars etiam cupiditate pugnandi. Hi primùm nauigia hostium lapidibus ac fundis à mole repellebant: ac multum proficere multitudine telorum videbantur: sed postquam vltra eum locum à latere eorum aperto ausi sunt egredi ex nauibus Alexandrini pauci, vt sine signis certisque ordinibus sineque ratione prodierant, sic temerè in naues refugere cœperunt. Quorum fugâ incitati Alexandrini, plures ex nauibus egrediebantur, Cæsarianosque acriùs perturbatos insequebantur. Simul qui in nauibus longis remanserant, scalas rapere, nauesque à terra repellere properabant, ne hostes nauibus potirentur. Quibus omnibus rebus perturbati milites Cæsariani, cohortium trium quæ in ponte ac prima mole constiterant, cùm post se clamorem exaudirent, fugam suorum viderent, magnam vim telorum aduersi sustinerent veriti ne à tergo circumuenirentur, & discessu nauium, omnino reditu intercluderentur, munitionem in pontem institutam reliquerunt & magno cursu incitati, ad naues, contenderunt Quorum pars, proximas nacta naues, multitudine hominum atque onere depressa est, pars resistens, & dubitans quid esset

capien-

capiendum cōsilij, ab Alexandrinis interfecta est: nōnulli feliciore exitu expeditas ad anchoras naues cōsecuti, incolumes discesserunt. Pauci alleuati scutis & animo ad conandum nixi, ad proxima nauigia adnatarunt. Cæsar quoad potuit cohortādo suos, ad pontem & munitiones cōtendere, eodem in periculo versatus est: postquam vniuersos cedere animaduertit, in suum nauigium se recepit: quo multitudo hominum insecuta cum irrumperet, neque administrandi, neque repellendi à terra facultas daretur, fore quod accidit suspicatus, sese ex nauigio eiecit, & ad eas quæ longius constiterant naues, adnatauit. Hinc suis laborantibus subsidio scaphas mittens, nonnullos conseruauit: nauigium quidem eius multitudine militum depressum, vna cum hominibus interijt. Hoc prælio desiderati sunt ex numero legionariorum militum circiter CCCC & paulò vltra eũ numerum, classiarij & remiges. Alexandrini eo loco castellum magnis munitionibus multisq; tormentis confirmarunt, atque egestis ex mari lapidibus, liberè sunt vsi postea ad emittenda nauigia. At legionibus detrimentum vt ad Gergouiam, vt ad Dyrrhachium, in bonum conuertit,

Tum pudor incendit uires, & conscia uirtus,

vt legionarij magis deterrendi & continendi à periculosissimis dimicationibus essent, quàm

incitandi ad pugnandum. Alexandrini cùm Romanos aduersis rebus incitari viderent, ad insidias & dolos conuertuntur: Cæsarem per legatos orant, vt puerum Regem dimitteret, eo'que authore in fidem Cæsaris venirent: Cæsar & si fallaciam gentis sentiret, tamen Regem dimisit, vt per eum, Aegyptum contineret, aut si falleret, cum Rege speciosius bellum, quàm cum latronibus gereret, sicut accidit: Rege enim recepto, Aegyptij bellum acrius reparãt, commeatus Cæsaris intercludere statuunt, naualí'que prælio Nichanorem Illum Rhodium circumueniunt. sed cõfestim à Mithridate Pergameno, qui magnas auxiliorum copias Cæsari adducebat, Pelusium expugnatum est, & à Cæsare Mithridatis copijs aucto, Rex ipse castris eiectus, & in Nilo fugiens demersus est, Re felicissimè celerrime'que gesta, Cæsar magnæ victoriæ fiduciâ proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit atque ea parte oppidi, victor introijt, quæ præsidio hostium tenebatur. Neque eum, consilium suum fefellit quin hostes eo prælio audito, nihil iam de bello essent cogitaturi. Dignum ad ueniens fructum virtutis & animi magnitudinis tulit: Omnis enim multitudo oppidanorum armis proiectis munitionibusq; suis relictis, veste ea sumpta qua supplices dominantes deprecari consueuerunt sacris'que omnibus

bus prolatis, quorum religione precari offensos iratos'que animos regum erant soliti, aduenienti Cæsari occurrerunt, se'que ei dediderunt. Cæsar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones, in suam partem oppidi magna gratulatione suorum venit, qui non tantùm bellum ipsum ac dimicationem, sed etiam talem aduentum eius felicem fuisse lætabantur. Hic pene triumphus Cæsari Alexandrinus fuit, sed victoriæ fructus longè maior illo qui deinceps ab Hircio proponitur. Cæsar Aegypto atque Alexandriâ potitus, reges constituit quos Ptolemæus pater testamento scripserat, atque obtestatus erat populum Romanum ne mutarentur. Nam maiore ex duobus pueris Rege amisso, minori tradidit regnum maiori'que ex duabus filijs Cleopatrę, quæ manserat in fide præsidijs'que eius, minorem Arsinoëm, cuius nomine diu regnasse impotenter Ganymedem docuimus, deducere ex regno statuit ne qua rursus noua dissensio, priusquam diuturnitate confirmarentur regum imperia, per homines seditiosos nasceretur. Legione veteranâ sextâ secum reductâ, cæteras ibi reliquit, quò firmius esset eorum regnum, qui neque amorem suorum habere poterant, quòd fideliter permanserant in Cæsaris amicitia, neque vetustatis authoritatem, paucis diebus reges constituti. Simul ad im-

perij Romani dignitatem, vtilitatem'que publicam pertinere existimabat, si permanerent in fide reges, præsidijs eos Romanis esse tutos: & hos, si essent ingrati, posse ijsdem præsidijs coërceri.

FINIS.




15
69


incitandi ad pugnandum. Alexandrini cùm Romanos aduersis rebus incitari viderent, ad insidias & dolos conuertuntur: Cæsarem per legatos orant, vt puerum Regem dimitteret, eo'que authore in fidem Cæsaris venirent: Cęsar & si fallaciam gentis sentiret, tamen Regem dimisit, vt per eum, Aegyptum contineret, aut si falleret, cum Rege speciosius bellum, quàm cum latronibus gereret, sicut accidit: Rege enim recepto, Aegyptij bellum acrius reparãt, commeatus Cæsaris intercludere statuunt, na uali'que prælio Nichanorem illum Rhodium circumueniunt: sed cõfestim à Mithridate Pergameno, qui magnas auxiliorum copias Cæsari adducebat, Pelusium expugnatum est, & à Cæsare Mithridatis copijs aucto, Rex ipse castris eiectus, & in Nilo fugiens demersus est, Re felicissimè celerrime'que gesta, Cæsar magnæ victoriæ fiduciâ proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit atque ea parte oppidi, victor introijt, quæ præsidio hostium tenebatur. Neque eum, consilium suum fefellit quin hostes eo prælio audito, nihil iam de bello essent cogitaturi. Dignum ad ueniens fructum virtutis & animi magnitudinis tulit: Omnis enim multitudo oppidanorum armis proiectis munitionibusq; suis relictis, veste ea sumpta qua supplices dominantes deprecari consueuerunt sacris'que omnibus

bus prolatis, quorum religione precari offensos iratos'que animos regum erant soliti, aduenienti Cæsari occurrerunt, se'que ei dediderunt. Cæsar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones, in suam partem oppidi magna gratulatione suorum venit, qui non tantùm bellum ipsum ac dimicationem, sed etiam talem aduentum eius felicem fuisse lætabantur. Hic pene triumphus Cæsari Alexandrinus fuit, sed victoriæ fructus longè maior illo qui deinceps ab Hircio proponitur. Cæsar Aegypto atque Alexandriâ potitus, reges constituit quos Ptolemæus pater testamento scripserat, atque obtestatus erat populum Romanum ne mutarentur. Nam maiore ex duobus pueris Rege amisso, minori tradidit regnum maiori'que ex duabus filijs Cleopatrę, quæ manserat in fide præsidijs'que eius, minorem Arsinoëm, cuius nomine diu regnasse impotenter Ganymedem docuimus, deducere ex regno statuit ne qua rursus noua dissensio, priusquam diuturnitate confirmarentur regum imperia, per homines seditiosos nascerentur. Legione veteranâ sextâ secum reductâ, cæteras ibi reliquit, quò firmius esset eorum regnum, qui neque amorem suorum habere poterant, quòd fideliter permanserant in Cæsaris amicitia, neque vetustatis authoritatem, paucis diebus reges constituti. Simul ad im-

perij Romani dignitatem, vtilitatem'que publicam pertinere existimabat, si permanerent in fide reges, præsidijs eos Romanis esse tutos: & hos, si essent ingrati, posse ijsdem præsidijs coërceri.

FINIS.


1569


Chr
11-13